




Baricelli
hortulus Genialis
1620














IVLII CÆSARIS BARICELLI,

à Sancto Marco,

Doctoris Medici, & Philosophi,

HORTVLVS GENIALIS,

Siue rerum iucundarum, medicarum, & memorabilium compendium, in quo naturæ arcana, multæ rerum sympathiæ & antipathiæ, & Auctoris obseruationes reserantur.

Cum Indice locupletissimo.

Ad Illustrissimum Dominum

DON MICHAELEM CABANILIVM.

Huic accessit liber De Esculentorum Potulentorumque facultatibus, Arnaldo Freitagio Embricensi Medico auctore.

GENEVÆ,

Apud Philippum Albert.

1620.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Illustrissimo Domino
D. MICHAELI CABANILIO
Mœcenati optimo,
IVLIVS CÆSAR BARICELLVS
S. P.

HOrtulus ille genialis, quem tuis auspiciis, Illustrissime Domine, elapsis mensibus condidi, & apparaui, hoc nouo vere ineunte germinare cœpit, vt fructus suos orbi ostendere possit. Illum ad te mitto, vt in eo ambulans, plantarum varietatem, floresque redolentes perspicias, & fructus, qui tam mirè studiosos, literarumq; professores delectãt, gustes & attingas. Felicissima mihi fuit æstas præterita, quando præsentia & colloquio tuo suauissimo frui licuit:

quotidie etenim inter nos (hoc tua in me beneuolentia & fauore operante) sermones dulces, variæque literarum discussiones aderant, oreque tuo tã accincta selectaque audiebam, vt ea longo studio vix posse acquiri tenerem. Hoc autem mirum haud est, tu enim maiorum tuorum instar, cum armorum tum literarum studio insimul operam nauasti, quo fit vt non modo Politicarum rerũ & Mathematicarum, verùm atque naturalium, & historiarum exactam cognitionem retinere videaris. Quid dicã de Poesi, mellifluis concinnisque versibus quos tu animi gratia contexis? Hem versus? Hem festina? Videor profectò ferè in extasim abire cum te hos pronuntiantem audio: tanta enim verborum suauitate carmina profers, tantum iis nitoris & cultus inest, vt re-

uera

uera nec dulcius, nec ſuauius quid poſſe auſcultari confitear. Proinde ſæpe mecum more poetico dicebam,

Gaudet humus, plaudunt Nymphæ, Faunique bicornes,
Carmina dum Michaël promit ab ore ſuo.

Vtinam ergo diu noctuque mihi tuo cōſpectu frui liceret, vt quæ admiror, quæque in te grandiora grauioraque recolo, continuò mente, oculiſque corporis retinerem. Maiores tui tam in citeriori quàm Terraconenſi Hiſpania, & in hoc Regno Neapolitano, in quibus Illuſtriſſima familia tua maximè viget, nihil proprius, nihil excellentius expetiuere, quàm ſuorum procerum nobilitatem & excellentiam armis & literis conſerua-

re: quo factum est, vti & opibus & sanguine proprio Regibus nostris, & contra Gallos, Bethicam, Tunetes, Flandriæ populos, Terraconẽses, Turcas, & Leutrecchum olim inseruierint. Quantum verò profecerint in huius regni recuperatione tempore Alfonsi Regis & suorum posterûm, quantum in bello Patrassi, Ducis Albaniæ, in bello Pedemontano, & in aliis quamplurimis factionibus, plena sunt historiæ, & à multis scriptoribus capitur, veluti ego in libro nostro de Hydronosa natura, olim dicato illustrissimo D. Don Hieronymo fratri tuo, fusius percurri. His etiam de causis Don Aloysius frater tuus pro Rege nostro inter primos Duces, contra Sabaudiam profectus est, vbi quantum profecerit notißimum omnibus esse credo. Omnes tamen citra armorum militiæque

tiæque cultum in literis præstantissimi extitere, (vt Ammiratus in libro Familiar. Nobilium Neapolit. recensuit) bene recolentes veram nobilitatem à virtutibus comparari: propterea in hac tua Illustrissima familia, arma, & literas, tanquam ex hæreditate semper viguisse, huiusque viros erga studiosos, beneuolos & optimos Mæcenates extitisse legitur. Hinc ille domi & militiæ clarus D. Garcia atauus tuus, olim Troiæ Comes, Bartholomeum Facium virum in literarum studio apprimè versatum cohonestauit. Ille autem in Regis Alfonsi Aragonij factis, D. Garciæ magnificentiam, animi dotes, fortitudinem, & in Regem seruitia propalauit. D. Didacus eius filius Troiæ & Montellæ Comes, Ioannem Cottam familiarem habuit, vt ex illius carminibus perspi-

citur, cum de Moniella verba facit. D. Troianus istius filius, Iacobũ Sanazarium mirificè adamauit, hinc ille suas Salices dicauit. Cæteri, alios viros doctos amplexi sunt, vt innumera extant opera talium procerum nominibus dedicata. Sed omittamus hæc, tu enim maiorum tuorum nobilitatem & prudendentiam consequutus, armorum, literarum, equorumque studium es amplexus, & in iis admodum profecisti, ob id etiam erga studiosos magnam ostendis beneuolentiam, inter quos ego non paruam apud te adeptus sum gratiam, & auxiliis tuis studia mea grãdiora facta sunt. Inter alia, æstate retro elapsa, quia indoles animi tui ad altißima tendit, vt Conuiuium siue anniuersaria Platonis, antiquorum Philosophorum more, innouarem iussisti: legeras enim

Pla-

Platonem Philosophorum patrem septimo die Nouembris, quo ortus fuerat, in Conuiuio discumbentem remotis dapibus expirasse: quod Conuiuium prisci Platonici vsque ad Plotini & Porphirii tempora quotannis instaurabant: quare ipse, vt tibi obedirem, quamplurima ad librum Conuiuii Platonis, siue de amore attinentia collegeram, vt in eo explicando assumerem. Aduentante autem tempore à Quartana incipiente (proh dolor) inuasus fuisti, idcirco Neapolim, vt Cœli Solique clementiam pro illa profliganda assumeres, proficisci coactus es. Quapropter studia mea torpescere visa sunt, & ipse animi mœroribus ob malam tui valetudinem & absentiam ab inceptis desistere volui. Quia tamen inter studia, multa miscellanea, nonnulla illustrium Medico-

rum & Philoſophorum apophtegmata, naturæ arcana, rerum Sympathias & Antipathias collegeram, quibus aliquot meas obſeruationes addideram: in hoc veris principio illa omnia in compendium reddidi, nominique tuo clariſſimo & famæ immortalitati ſub Hortuli genialis titulo dedicare & typis committere propoſui. Tu verò qualis ipſe ſit, benigno fauore proſequere, atque ab inuidis & Zoilis vindicato. Hic enim tuis auſpiciis incepit, tuis auſpiciis excuditur, & tuis viuere oportet: proinde æquum eſt vt tuo ſplendore illuſtretur & tua gratia foueatur, ſiquidem partus tuus potiùs quàm meus dici meretur. Quod ſi videre hunc Hortulum meum hilari vultu, vt ſeruorum tuorum munuſcula recipere ſoles dignaberis, vtique ad alia

eaque

eaque grauiora quæ in manibus habeo me conuertam, tibique viro Illustrissimo, nominique dicabo.

Vale. A SanctoMarco Calend. *Septemb.* M. DC. XVII.




AD LECTOREM.

EN amice Lector, quæ fortè inter placidiora ſtudia miſcellanea exarauimus, ad præſens ſub Hortuli genialis nomine in publicùm, & in tui gratiam potiſsimùm emittuntur. Libuit hunc alterum ingenii noſtri partum typis committere, vt poſteris noſtram beneuolentiam & tui iuuandi declaremus deſiderium. Tu igitur labores noſtros quales quales ſint, hilari fronte accipito, & ſi quid inter ſcribendum aut excudēdum errati irrepſerit, benignè corrigas.

Vale & hoc Hortulo noſtro geniali fauſto ſydere fruere.

IV-





IVLII CAESARIS BARICELLI A S. MARCO,

Doctoris Medici, & Philosophi, Hortulus Genialis.

De Medicinæ præstantia.

MEdicina de cœlo demissa est: ita Mercurius Trismegistus apud Ægyptios sapientissimus scriptum reliquit. Hanc profecto ad fluxilis naturæ nostræ remedium Deus altissimus hominibus concessit, vt sanitatem conseruare, & perditam recuperare commodè valeamus. Ipsa autem à vitæ constituto termino, & à morte nequaquam viuentia omnino liberare: sed corpora à

corruptione, & festina dissolutione præseruare potius iudicatur.

Amazones cur mammas dextras resecarent.

AMazones illæ, tantum à scriptoribus celebratæ, propterea sibi mammas dextras resecari curabant, vt magis armis gerendis, aptæ fierent, vel potius ne manuum, & brachiorum impediretur motus. Mihi autem Galeni opinio 7. Aphor. 43. & sententia Hippoc. admodum placet, qui has mulieres id fecisse asseruit, vt manus dextra robustior euaderet. Hoc autem à ratione alienum minime est, quippe nutrimentum, quod in mammam dextram à natura distribui debebat, totum in manum, & brachium immittebatur. Strab. lib. 11.

Olearum sterilitatis præsagium.

VErgiliarum occultatio, & emersio, & Sucularum tẽpestuosi sideris, si pluuiosam tempestatem mouerit, & vitis, & olei germinationem suffocabit. Ex hac

causa

causa Democritus olei præuisa caritate, magna vilitate oliuas, in toto eo tractu coemit, mirantibus qui paupertatem, & doctrinam, quietem homini oblectamento esse sciebant: atque vt apparuit causa, & ingens diuitiarum accessio, restituit mercedem, contentus se ita probasse, opes sibi in promptu esse cum vellet. Ex Fran. Iunctino in Sphera.

Nili fluminis proprietas.

QVædam aquæ reperiuntur, quæ fæcunditatem proprietate quadam inducere celebrantur: ita est aqua Nili, quę sua vi nitrosa, vt voluit Seneca 3. natur. quęst. sæpè vteros perpetua sterilitate occlusos aperuit, & conceptum fecit: Vnde mulieres in Ægypto, vt scripsit Aristot. quinos, & quaternos frequenter fœtus edunt, ratio non alteri tribuitur, quam Nili aquæ, quæ illis in potu familiarissima est.

De Mundi creatione.

IN qua Anni parte Mundus à Deo creatus fuisset, discordes inter se scri-

ptores ſunt, vt Hebræi, Iſmaelitæ, Chaldæi, Arabes, Ægyptij, Græci, & Latini. Multi enim in Æſtate, nonnulli in Verei. alij verò in Autumno conditum fuiſſe, contendunt. Moyſes fuiſſe in Autumno aſſerere videtur, cum in Geneſi dicat, Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum. Ex Ægyptiis nonnulli Æſtate creatum aſſerunt. Inter Latinos Cardinalis Aliacenſis Vere nouo conditum voluit. Inſuper variāt, quia Planetas, aliquot aſſerunt in mūdi principio fuiſſe creatos in ſuis domibus: Solem ſcilicet in Leone, Lunam in Cancro, Martem in Scorpione, Saturnum in Capricorno, Venerem in Libra, Mercurium in Virgine, Iouem in Sagittario. Alij, Planetas volunt, in ſuis altitudinibus, præter Mercurium, omnes fuiſſe collocatos. Quæ autem opinio ſit verior, D. Thomas 4. ſent. diſt. 2. artic. 8. videndus eſt.

Murium ſagacitas.

MVres ex omnibus animalibus, quodammodo futurorum præſcij eſſe cognoſcuntur. Cum enim domus aliqua

con-

consenuit, & ruinam aliquam iam comminatur, primi sentiunt, & relictis suis cauernis, pristinisque habitationibus, domum relinquunt, propere fugientes, aliudque domicilium quærunt. Ælianus de var. hist. lib. 1. & Leuinius Lemnius de secr. nat.

Pluuiosæ tempestatis Prognostica.

VErgiliarum occasus matutinus, si nubilo Cœlo accidat, hyemem pluuiosam denunciat: si sereno Cœlo, asperam. Sic Veneris, aut Martis per Pleiades transitus aliquot diebus pluuiosam ciet tempestatem. Saturnus insuper cum corpore, aut radiis ad Arcturum accedit, idē minatur. Ex Plinio, & Obseruat. Stadij.

Agricolæ non semel tempestates, & serenitates prædicunt.

MVltos profecto cognoui pastores, & plerosque agricolas, qui in prædicendis serenitatibus, & tempestatibus, magnę mihi erant admirationi: tanquam curiosus sciscitabar, qua via, & ordine hęc scirent? ratus forsan simplices, & idiotas,

non posse tanta certitudine futura præ-noscere, nisi vel Dei munere, vel Dæmonis actu id fieret. Ex relatu diuersas stellarum constellationes ab iis experientia cognitas, noctu, animaduerti, quarum obseruatione vera prædicunt. Experti enim sunt Pleiades in Autumno, quæ in principio noctis oriuntur, cum Marte, vel Venere mouere tempestatem. Arcturum nõ sine grandine emergere. Hædorum ortum, & occasum tempestatem pluuiosam in regionibus nostris pronunciare, & alia, quæ in promptu tales habent, licet aliis nominibus hæc sidera nominent. Quare mirum non est, priores stellarum perscrutatores circa earum prædictiones, multa nobis reliquisse, cum id sapiẽtia, & obseruatione perfecerint, quod in præsentiarum idiotæ nullo magistro facere valent.

Valerianæ mira vis contra epilepsiam.

VAleriana syluestris, quæ sponte nascitur, præter innumeras, quæ ab auctoribus ei tribuuntur virtutes, hanc iam diù, in multis, atque in se ipso Fabius Columna in histor. plant. expertam aperuit.

peruit, vt ſemel, vel bis radicis pulueris cochlearij dimidium cum vino, aqua, lacte, aut alio quouis decenti ſucco, & ægroti cõmoditate, & ætate ſumptum, epilepſia correptos liberet. Extirpatur antequam caulem edat, & pueris exhibetur, & præſertim infantibus, qui morbo hoc facile laborant. Retulit auctor multis puerulis lacte propinaſſe, multiſque amicis dono dediſſe: qui deinde diuino prius numine fautore glorificato, puluere huius plantæ illis reſtitutam ſanitatem affirmarunt.

Transformationes hominum in beſtias non eſſe reales.

QVædam monſtruoſæ hominũ tranſformationes in beſtias à multis auctoribus ſcribuntur, & inter alias, de illa Maga famoſiſſima Circe, quæ ſocios Vlyſſis in beſtias fertur mutaſſe: de Arcadibus, qui ſorte ducti trãſnatabant quoddam ſtagnum, atque ibi conuertebantur in Lupos: de Diomedis ſociis, qui in volucres conuerſi ſunt, plurima adducunt. Hoc non fabuloſo mendacio, ſed hiſtorica affirmatione multi confirmant, vt in

ſpec.natur.lib. 31. c. 122. Vincentius Belluacenſis retulit. Aſſerunt enim (vt ait Solinus) vel magicis cantibus, vel herbarum veneficio in feras corpora transformari Dicunt in experimēto Neuros populos in Æſtatis temporibus in lupos mutari, deinde ſpatio, quod his attributum eſt, exacto, in priſtinam faciem reuerti. An autem huiuſmodi transformatio realis ſit, vel illuſiuè facta à Dęmone, D. Auguſt. lib. 18. de ciuit. Dei ita nodum enucleauit, Quod transformationes hominum in bruta animalia, quæ dicuntur arte Dæmonum factæ, non fuerunt ſecundum veritatem: ſed ſolum ſecundum apparentiam. Quippe opus hoc tantum Dei eſt, vt in Concil. ſacro Ancyrenſi ſancitum eſt.

Dæmonis aſtutia apud Indos.

HErba, quam Tabacchum appellamus, apud Occidentales Indos in magno erat pretio. Cum enim inter hos, de re graui agebatur, ad Sacerdotem illico accedebant, cui totum exponebant. Sacerdos autem coram illis frondem, vel ſurculum Tabacci ſumebat, qua carbonibus

bus iniecta, fumum per os & nares excipiebat, & instar mortui in terram cadebat. Paulo post consumptis fumi viribus in cerebro, responsa, sed ambigua, prout Dæmones per illusiones, & simulachra suggesserant, populo dabat, quæ tanquam religiosa, & verissima cuncti recipiebant. Ita profecto hominum inimicus, Gentiles decipere consueuerat. Monardes de rebus Iudicis.

Quid Picus de scientiarum varietate sentiret.

CVm quodam die Ioannes Picus Mirandula de scientiarum varietate dissereret: In Hæbræorum, inquit, Philosophia, omnia sunt veluti quodam numine sacra, & in maiestate veritatis abdita, ceu prodigia quædam, & arcana mysteria. In Græcorum vero disciplinis, ingenium, acumen, & omnigena eruditio apparet, vt nulla vnquam gens fuerit, quæ dicendi copia, & ingenij elegantia cum illis possit conferri. In Romana verò Academia, ea ferè omnia, quæ ad ciuitatem, & vitæ mores pertinent, & grauiter, & copiosè sunt explicata, ac magnificè

dicta. Sic vt grauitas maximè Romanis, & imperij maiestas, Græcis ingenium, & acumen, Hebræis doctrina secretior, & quasi diuinitas ascribi possit. Crinitus de honest. discipl. lib. 5.

Subditos Principis vitam vt plurimum imitari.

PRincipis vitam subditi maximopere imitantur. Hinc factum est, vt ex philosophica vita Marci Imperatoris, magnum virorum prouentum ætas illa extulerit. Solent enim plerunque homines vitam Principis æmulari, iuxta illud Platonis à Tullio in epist. ad Lentulum repetitum: Quales sunt in Republica Principes, tales solere esse ciues. Quapropter ex bonitate Principis Marci, plurimi se philosophari finxerunt, vt ab eo ditarentur. Ex Herodiano, & Xiphilino.

Rutam, & allia serpentibus aduersari.

RVtæ odor, alliique serpentib. maximè est aduersus, propterea ex testimonio Aristotelis. 9. de histor. animal. c. 6. habe-

6.habemus Muſtelam, cum dimicatura eſt cum ſerpentibus, rutam comedere Hac etiam ratione ducti Perſæ (aucto r Simone Sethi) coquinas alliis replebant vt ipſas à ſerpentium conſortio tuerentur.

Animalia oriri, & viuere poſſe in igne compertum eſt.

MAgna admiratione dignum eſt illud, quod ab Ariſtot.5. de hiſtor. animal.c.19.adducitur, animalia ſcilicet oriri , & viuere in igne, cum elementum hoc omnia comburat : & nullatenus putreſcat. In Cypro, inquit, in inſula ærariis fornacibus, vbi calcites lapis ingeſtus cópluribus diebus crematur, beſtiolę in medio igne naſcuntur pennatæ , paulo muſcis grandibus maiores , quæ per ignem ſaliant, & ambulent. Equidem ſi à tanto viro hoc non aperiretur , vix credere homines auderent, cum totum rationi aduerſetur, ſed hæc, & alia maiora à potentiſſima natura fieri poſſunt.

Locus Aſpaltitis mirabilis natura.

COmmemoratione dignum puto Aſpaltitis lacus naturam exponere. Salſus ille quidem, ac ſterilis eſt, ſed tanta leuitate, vt etiam, quæ grauiſſima ſunt, in illum iacta fluitent: nec quiſquam demergi in profundum, ne de induſtria quidem facilè poſſit. Denique Veſpaſianus, qui eius viſendi cauſa illuc acceſſerat, iuſſit quoſdam natandi inſcios, vinctis poſt terga manibus, in altum deiici, & euenit omnibus, vt tanquam vi ſpiritus ſurſum repulſi, deſuper fluitarent. Ioſephus lib. 5. de bello Iudaic. c. 9.

Piſces marinos ſalubriores, & ſapidiores eſſe fluminum piſcibus.

PIſces, qui in mari naſcuntur, tum ſapidiores, tum ſalubriores ſunt iis, qui in fluminibus ſtagnis, lacubus, aut vrbium riuulis ſunt. Salſedo enim duriorem facit carnem, & ſubtilioris ſubſtantiæ. Cõtra in piſcibus, qui ſunt in fluminibus, & proinde eorum caro excrementitia eſt, muccoſa, & inſuauis. Vnde apud Columellam extat lepidum dictum. Philippus cum

cum ad Numidam hospitem deuenisset, & sibi è vicino flumine, lupum formosum appositum degustasset, expuissetq. dixit, Peream ni piscem putaui, vsque adeo à Tyberino, vel marino differre putauit, vt illum piscis nomine, indignum iudicauerit.

Mulieris cinni fugant serpentes, & in vermes mutantur.

MVlierum capilli, quibus tantopere gaudent, & pro quorum structura in exornandis multum consumunt temporis, cremati, serpentes abigere visi sunt. Sin autem in aquam iniiciuntur in vermes, non diù retenti commutantur.

Plurimos homines æquè per tenebras, ac per lucem vidisse.

REerum natura opulentissima, admirandam sæpissimè hominibus visus aciem, oculosque splendentes præstitit, vt multi Feliû more noctu vagare libere potuerint. Legitur de Alexandro, eũ per tenebras æquè, ac per lucem vidisse. Visum adeo acerrimum habuit Galenus,

quod in somnis, patefactis repente palpebris, magnam ante oculos lucem videbat, vt ipse de se fidem facit lib.7.Hippocr.& Platon.plac. c.4. At mirabilior erat Tiberij Cæsaris proprietas, qui in tenebris exacte videbat, de qua re adeo admiratur Tranquillus, vt id pro miraculo scribat.

Cibus sapidissimus quomodo apparetur.

QVi sapidissimum cibum habere desiderat, Gallinaceos pullos, qui lact. & panis micis saginati sint, in mensa procuret: ij profecto præstantissimum saporem exhibent, mireque cum palato ineũ gratiam. Anser etiam caricis nutritus, tũ ad medicinam, tum ad gulæ saporem est optimus, & præsertim iecur. Vnde non mirum si in Insula Ispaniola apud Indos, porci harundinibus Zacchari saginati, tantæ sapiditatis, & bonitatis existant, vt febricitantibus etiam exhibeantur.

Gigantes in orbe quando fuerint;

GIgantum soboles paulo ante Diluuium apparuit. Patet hoc in Genesi c.6.quan-

c.6.quando ingreſſi ſunt filij Dei, ad filias hominum:poſt autem Diluuium aliqui fuerunt gigantes, qui tamen nõ multo tempore durauerunt. Bonitas enim naturæ (vt inquit Abulenſis c. 3. Deuteronomij) in cibis, & aſpectu cœli ad terram habitatam ſemen humanum in tanta virtute continebat, vt tanti roboris, & ſtaturæ homines ætas illa produceret: poſtea paulatim deficiente natura, tanquam ad ſenium mundus iſte declinauit, & humana corpora cum viribus minorata ſunt.

Ad facies mulierum rugatas ſelectum præſidium.

IN gratiam rugatarum mulierum, & earum, quæ maculas in viſu ſortitæ fuerint, quo ſenium, turpitudinémque faciei abſcondere valeant, optimum adducamus præſidium. Alumen tritum, & cũ recentis oui albumine agitatum ſi deinde ferbuerit in olla, & ſpatula lignea continuo mouebitur, in vnguenti ſpiſſitudinẽ tranſit. Hoc ſi biduo, vel triduo facies mane, & veſperi collinitur, non modo emaculari, & erugari, verũ mirè atque ſummè

pulchram & gratam reddi animaduertent.

Maxima est Solis excellentia, & in hæc inferiora confluxus.

IAm maximè Homerus Solis naturam, & excellentiam admirabatur, vt illum Deorum patrem, hominumque vocauerit. Ipse enim omnium astrorum Rex est, & tempora cuncta moderatur: annos, menses, & dies distinguit, & efficit: nos sua luce lætificamur, & eius calore sanamur. Ipse virentes herbas, & terræ nascentia germinare facit, & flores redolere. Ipse fruges producit, fructus maturat, aërem purificat lucem affert, tenebrasque repellit, elementa transmutat, animalia gignit, gemmasque pretiosas cum viribus ex terræ visceribus mira virtute enitere facit. Hominem ipse cum homine generat, & tandem quicquid in terra oritur, & occidit, corrumpitur & generatur in eius potestate est: sic ait Aristot. 2. de gener. & corrupt. quod propter accessum, & recessum Solis in circulo obliquo, fiunt generationes, & corruptiones, Hæc, & alia tali sideri Creator omnium dispensauit.

Falsissi-

Falsissimum est Salamandram in igne viuere posse.

AB Aristotele, & Æliano, Salamandram, non modo in igne viuere, verũ atque illũ extinguere proditum est. His suffragatur Plinius lib. 10. c. 67. qui tantũ asseruit Salamandræ rigorem esse, vt ignem glaciei ad instar extinguat. Hi autem famigeratissimi viri dormitare vidẽtur, cum omnia & comburi, & consumi ab igne posse iudicentur. Falsum ergo axioma est, breuique spatio, animal illud, antequam comburatur, licet rigidissimũ foret, in igne viuere verisimile est. Totum hoc experientia innotuit. Narrat enim Matthiolus in lib. 2. c. 56. Dioscoridis in agro Tridentino, Veris, & Autumni tempore, maximam Salamandrarum copiam reperiri, se autem, vt experimentum caperet eius, quod de Salamandra vulgo fertur, plurimas in ignem coniecisse, sed eas prorsus exarsisse, breuique penitus esse consumptas.

Sabbatici fluuii admiranda proprietas.

INter Arcas, & Raphandas ciuitates (teſtimonio Ioſephi.7. de bello Iudaico) regni Agrippæ, Sabbaticus fluuius reperitur, ita à ſeptimo die, quem Iudæi religiosè colunt, appellatus. Hic copioſus fluit, nec meatu ſegnis eſt, mirabilemque naturam obtinuit, ſiquidem interpoſitis ſex diebus à fonte ſuo deficit, nudumque & ſiccum alueum relinquit. Quod autem mirabilius eſt, nulla mutatione facta ſeptimo die ſimilis exoritur, talemque continuo ordinem obſeruare pro certo ab omnibus cognitum eſt.

Quàm ſit exitioſum pro lactandis infantibus vitioſas eligere nutrices.

NVtrices pro lactandis puerulis malis moribus imbutas, vitioſas, ineptas, crudeles vel ſuperbas reiicienda exiſtimo: mites autem, benè morigeratas ſine vitio, & prudentes eligendas. Pueri enim ex iis educati ob acceptum nutrimentum à parentum natura recedunt & ad nutricis vitia vel prudentiam aliquam inclinationem habent. Inde legi

tu

tur Neronem crudelissimum à suis progenitoribus longe decessisse (quamuis prauam inclinationem vincere potuisset) ij enim benignissimi fuerant: ipse autem à crudelissima nutrice lactatus, & connutritus, propriam matrem interfecit.

Menstrualis sanguinis mulierum immanitas.

MAximum contagium in mulieris sanguine menstruo Plinius inesse credidit. Refert enim nouellas vites eius pernecari contractu, rutam, & hederam illico mori, apes tactis aluearijs fugere, lina nigrescere, aciem in cultris tonsorum hebetari, æs graue virus, & æruginem cõtrahere: equas, si sint grauidæ, tactas abortire, multaque alia perniciosa mala ex illius contactu fieri tradidit. Sed longe à veritate distat hic auctor: cuiuslibet enim mulieris sanguinem menstruum virulentum esse, falsissimum est, quippe in sana muliere non differt sanguis à sanguine, vitiumque illius in quantitate tantum persistit, vt benè Capiuacceus in sua Praxi recensuit, secus est in morbosa muliere: ex menstruali enim istius sanguine nõ

modo pericula, quæ à Plinio adducuntur, eueniunt, verùm atque alia. Equidem canes epoto menstruo in rabiem furiũt. Homines in hecticam, & pthisim, si à veneficis iis in potu tribuitur, deueniunt: Oleæ contactæ sterilescunt. Alia etiam ex illius virulentia contingunt, quæ reticere melius est.

Frigidum potum post pharmacum assumptum magnæ vtilitatis assuetis fuisse.

AEgrotabat olim in Sicilia Prorex Ioannes à Vega: sumptoque pharmaco segniter purgationem habebat. Medicus familiaris, vt aluum irritaret, iuris pulli sine sale paratum ciathum coram Principe habebat, illumque nauseantẽ, & tale brodium abhorrentem, vt ebiberet exorabat. Superueniens autem Philippus Ingrassia, iuris vice, libram aquæ frigidæ cum vncia saccari mediocris albedinis propinauit. Erat enim ille frigidæ potioni assuetus, atque iecore percalidus. At frigida epota, destructa est contestim nausea, sedatisque nonnullis in ore ventriculi morsibus, talem è vestigio purgationem fœliciter perfecit, vt gratias

referre Ingrassiæ pro tali frigidæ potione cupiens, argenteum illud vas, in quo reposita frigida fuerat; pretij aureorum nummorum quinquaginta, gratissimo animo donauerit. Ingrass. de frig. pot. medic.

Verrucas cuiusdam animalculi liquore persanari.

REferam quod mihi in Apuliæ quodam loco, circa verrucas successit. Explorabat à me quidã nobilis, qui manus à verrucis nimis deturpatas habebat, aliquod pro illis abigendis præsidiũ. Ego profectò coram nonnullis multa, quæ alias verissima esse comprobauerã, illi consulebam. Inter hos, rusticus quidam inopinanter, se electissimum habere remedium pro iis penitus dirimendis non exploratum fassus est. Sciscitor quale sit, animalculum esse dixit: ad experimentum venimus, ægro consentiente. Rusticus animalculum inuenit. Hoc in floribus Eringij, & Cichoreæ ęstiuo tempore moratur, est coloris talassini, cum maculis rubeis, & quodammodo assimilatur proportione corporis cantharidi,

licet paruulum ſit. Acceperat aliquot ruſticus, & ſingula in ſingulis verrucis digitis expreſſit: exibat liquor quidam, manus intumuit, & doluit, ſed cum moderantia: intra tres dies detumuit, & ſana facta eſt, nec verrucæ amplius viſæ ſunt.

Tauri ſanguinem inter lethalia venena connumerari.

INter atrociſſima, & ſuffocantia venena Tauri ſanguinem recenter epotũ connumeramus: congelatur enim in ventriculo, reſpirationemque impediens, hominem ſuffocat. Themiſtocles Atheniẽſis tanti veneni tentauit experimentum. Hic enim ciuium inuidia à patria relegatus, ad Artaxerxem confugit, à quo diues factus eſt. Dum autem in patriam in gratiam Artaxerxis pugnare cogeretur, in Dianæ templo, hauſto Tauri ſanguine, vitam cum morte commutauit. ex Plutarcho.

Quo artificio duriſſima ſaxa frangere valeamus.

MAris ſaxa non alia re frangenda, quàm larido accẽſo retulit Olaus. Hoc

Hoc equidem rationi consentaneum esse ducimus, cum pingue humidum, salique commistum illud sit, ob id enim flamma potens, & acris est, diúque manet. Annibal verò dum Alpium rupes, ingressurus Italiam, comminuere optaret, saxa potẽtissimo igne concalefacta, acerrimo aceto humectabat, ita enim emolliebantur, & in frusta cædebantur, fractionique facilior erat locus. ex Tito Liuio.

De lapidis Abeston mirabili virtute.

ABeston lapis, quem Arabia, & Arcadia producit, si pretiosus fuerit, semel accensus perpetuam flammam retinere videtur. Ex hoc Gentiles templorum candelabra conficere solebant, clarè animaduertentes fortissimam flammam & inextinguibilem elicere, quæ nec ab imbribus, nec tempestatibus extinguebatur. D. Augustinus lib. 21. de Ciuit. Dei, Athenis, Veneris Phanum fuisse refert, in quo de dicto lapide lucernæ constructæ fuerant, quæ aliqua intemperie extingui minimè poterant.

Aegypti Reges opera magnifica, & admiranda antiquitus construxisse.

OPera ab Ægypti Regibus constructa omni admiratione digna semper existimaui. Hi porrò Labyrinthorum, Pyramidumque primi fuerunt auctores, & Mausolea, sepulchra, & Obeliscos erexerunt. Ferunt admisso facinore, Phærone Regem è vestigio visum amisisse, decennioque cæcum fuisse. Vndecimo autem anno ab vrbe Buci, accepto Oraculo, quod visum reciperet, si oculos mulieris, quæ tantum sui viri amplexibus contenta fuisset, cæterumque virorum expers, lotio abluisset. Hic ante omnia vxoris lotium tentauit, cum autem nihil cerneret, infinitarum mulierum vrinam experiri voluit, visúque recuperato, præter eam (vxorem enim duxit) cuius lotio visum accepit, omnes concremauit. Ab ea autē calamitate liberatus, cum alia in aliis tēplis donaria posuit, omnia egregia ad memoriæ diuturnitatem, tum maximè memorabilia, ac spectaculo digna in templo Solis, gemina saxa, quos obelos vocant à figura veru centenum cubitorum longitudine, octonum latitudinis. Polydor.

dor. Virg. ex Herod. lib. 2.

Cocadæmonem mali nuncii præsagium aliquando attulisse.

MArcus Brutus cum exercitu ex Asia discessurus, nocte media, & profunda, splendidum erat lumen, & silentium vndique castra tenebant, multa secum memoria prodibat. Cum autem ad se venire aliquem præsentiret, intentus ad introitum aspiciens, horrendam, & monstruosam corporis feri, & terribilis, silentio sibi assistere imaginem respexit. Quis (inquit) interrogans Brutus, hominum, aut Deorum, es, quid tibi vis? quid ad nos venisti? Murmurans ille, tuus ô Brute (dixit) malus genius sum, in Philippis me videbis. Tum Brutus nihil perterritus, videbo, respondit, cogitabundusque accubuit. Verum Cassiana cognita clade deinde, cogitationesque suas videns, & spes fallaces sublapsas retro referri, in Philippis sibi ipsi mortem consciuit. Ex Plutarcho.

Olei, vini, segetumque sterilitatis præsagia.

SYrij vespertinus occasus, si biduo anteuertat, vel sequatur Plenilunium, segeti rubiginem, & florescentibus vredidem pronunciat. Procionis occasus vespertinus, si interlunio eueniat, florenti viti, & oleæ germinanti iniuriam ex vredine affert. Aquilæ vespertinus exortus, & Arcturi occasus, si in Plenilunium incidit, & olei, & vini sterilitatem, vtroque tum florente denunciat. Ex Iunctino.

Aeris salubritatem ad vitæ productionem maximopere videmus conducere.

IN Hybernia, quasdam Insulas, in quibus homines longissimæ vitæ sunt, reperiri compertum est, tanta est enim illarum aëris salubritas, vt vita humana longissime producatur. Cum autẽ ad maximam senectutem homines deueniunt, deficiente paulisper humido radicali, caloris naturalis opera, quia anima propter complexionis bonitatẽ recedere nequit, in corpore magni suscitantur dolores: Idcirco illius regionis homines post diuturnos labores, vitam abhorrentes, longè à pro-

à propria regione se deportari procurant, præsertimque ad locum minus salubrem, vbi faciliter moriantur. Abulensi in Genes. c. 2. & Anania in Vniu. Fabrica.

Lintea magnæ proprietatis apud Indos fieri.

MAximi valoris lintea ex Asbestino lino, & Amiantho lapide contexere Indiani consuescunt. Hæc in ignẽ proiecta flammam quidem concipiunt, detrimentum autem nullum recipiunt. Cũ autem vsu commaculata, Inde hæc lintea depurare coguntur, (spreto more nostro) non aqua, non cinere, vel smegmate vtuntur, sed in ignem proiiciunt: certissimo experimento perdocti ab eo nõ consumi modo, sed potius exempta splendescere, nihilque illis deperire. Tale Carolum V. Imperatorem nonnulli habuisse ferunt. Mizaldus.

Hominibus à graui valetudine oppressis varias hominum figuras apparuisse, sæpissime expertum est.

DIgnum speculatione illud semper existimaui, an ægris, cum graui op-

primũtur valetudine ex affecto cerebro, an actu Dæmonis figuræ diuersæ appareant? Quippe non semel audiui, nonnullos Dæmones, alios verò fæminas vidisse, vt inter cæteros Alexander ab Alexandro de se ipso testatur. Cum (inquit) Romæ ægra valetudine oppressus essem, iaceremque in lectulo, speciem mulieris eleganti forma mihi planè vigilanti apparuisse confiteor, quam cùm inspicerem, diù cogitabundus, & tacitus fui, reputans nunquid ego falsa imagine captus, aliter, atque res esset aspicerem: cumque meos sensus vigere, & figuram illam nusquam à me dilabi viderẽ, quænam illa esset interrogaui, quæ tum subridens, & ad ea quæ acceperat verba respondens, quasi me planè derideret, cum diù me fuisset intuita discessit. Quomodo autem hæc fiant in lib. 1. de vita hominis diffusè enucleamus.

Hydropes lethales multoties ab occultis, abditisque præsidiis disparuisse.

MVlti equidem morbi non à medicorum remediis, sed à causis abditis curati sunt. Refert Schenkius lib. 3. Ob-

ſeruat. Medicinal. Chriſtophorum quendam in deſperata hyeme, ab hydrope lethali, hac via ſanatum fuiſſe. Illi dormiẽti in Sole aprico lacertus viridis occurrit in laxatumque eius ſinum irrepſit, & toto eo tempore, quo dormiit, per tumentem, nudatumque ventrem oberrauit. Poſt horam expergefactus lacertum in ſinu ſubſultare animaduertit, quem veluti homini amicum, & innoxium dimiſit. Huic ab eo tempore hydropicus tumor omnis, citra alia remedia intra paucos dies ſubſedit, & diſparuit. Qui caſus mirabilis eſt: & non minori admiratione dignus, Bufonis ſylueſtris, quam ſit proprietas. Hoc enim animal ſi per ventrem ſcinditur, & ſuper renes hydropici ligatur, aquoſitatem per vias vrinæ, quæ in Aſcite ſuperabundat, mirabiliter educit. Hoc Vvierus expertus eſt. Nonnulli ſecreto remedio hydropicorum aquas Colubri aquatici lapide ventri applicato ſenſim abſumunt. Inſuper vituli marini pelle aquam corpori ſuffuſam Hermolaus Barbarus tolli prodidit. Cæca igitur, & abdita via multos hoc morbo ſanari comperimus.

Medeam à veneficiorum calumnia à Diogene fuisse vindicatam.

OMnes (vno excepto Diogene) memoriæ ſcriptores mandarunt; Medeam illam concelebratam, magicis artibus, maximam dediſſe operam, iiſque latiſſime fuiſſe inſtructam. Hic enim apud Stobæum dicebat, Medeam ſapientem, non veneficam fuiſſe, quæ acceptis mollibus, & effœminatis hominum corporibus, confirmabat ipſa gymnaſiis, ac exercitationibus, & robuſta, vigentiaque reddebat. Hinc, vt veriſimile eſt, fama emanauit, quod illa coquendo carnes, hominibus iuuentutem reſtitueret. Si enim ad ea, quæ de ipſa dicuntur, quod nocturnis horis coram Luna proſtrata maleficia ſuo nudato corpore pararet, reſpicimus, vt patet per Senecam in Traged. 7. & ad alia, quæ ipſam accuſant, neſcio quomodo ab infamia eam liberare valeamus.

In Plenilunio, vt plurimum furioſos vehementius inſanire.

LVna dum Soli opponitur, vehementius furioſos inſanire obſeruamus: tunc

tunc enim ex ſuperabundantium humorum copia cerebrum ad cranium vſque intumeſcit, eoſque ad furiam ducit. Hac (vt reor) cauſa, furioſos Britanni luna quartadecima verberibus affligunt, benè compenſantes ſanguinem, & ſpiritum tunc temporis efferueſcere. Cædes autẽ non ſine ratione ad talium ſalutem conferri videtur, vt enim larga proſperitas ad inſaniam homines ducere potens eſt: ſic dolor, & calamitas prudentiam inducere conſueuit: quod ſapientiæ Princeps perbellè ſignificauit dum dixerit, afflictionem tribuere intellectum. Bodinus in theat. nat.

Anni computum & menſuram quibuſdam nationibus rudi ordine fuiſſe constructum.

ANni certus modus apud ſolos Ægyptios ſemper fuit, eorum enim Sacerdotes ab Abrahamo edocti, & veram anni menſuram, & Solis curſum cognoſcere valuerunt. Apud alias nationes diſpari numero, parique errore annus notatus eſt: ſiquidem Arcades trium menſium annum faciebant. Lauinij trede-

cim. Acarnanes sex, Græci reliqui 354. diebus. Romulus annum decem mensibus, qui 304. diebus conficiebatur ordinauit. Hic à Martio incipiebat, eo quod Marti suo genitori credito, mensem hunc dicauerat. Numa post Romulum quinquaginta dies computo huic addidit, annumque constituit 354. diebus. At. C. Cæsar. Aegyptios imitatus, ad cursum Solis, qui diebus 365. & quadrante constituitur, annum dirigere professus fuit. Censorinus, & Suetonius.

Solatri maioris, & Serpentariæ minoris potentia contra parasitos mirabilis est.

MIrabilis profecto est Solatri maioris, siue herbæ Bella-dona radicis potentia: si enim contrita, & exiccata vnius scrupuli pondere per horas sex vino infunditur, illudque facta colatura ieiuno homini potui datur, vt ille cibum gustare nequeat, efficiet. Hoc parasitis idoneum est remedium, hi enim aperto ore, tanquã omnia deuoraturi, in mensa consident, sed hac via pœnas luent, quippè alios videbunt comedentes, ipsi tamen instar Tantali in mensa famescent: Vnde apud

conui-

conuiuas ridiculi, & confusi apparebunt. Sanantur hi confestim aceto bibito. Idem facit radix Aron, siue minoris Serpentariæ in acetariis recens contrita, qui enim gustauerit, apparebit suffocari, cibumque relinquet. Sanatur hic allio comesto.

Ventorum ortum, occasumque terrestrem Echinum mira sagacitate hominibus præsagire.

TErrestris Echini, qui autumnali tempore in vineis, dumosisque spinis versari præcipuè consueuit, in ortu, occasúque ventorum præsagiendo mira est sagacitas. Horum porrò latibula duobus constructa foraminibus, quorum alterum Boream, alterum verò Austrum respiciat, constructa reperiuntur. Præsentientes autem Boream, Austrum, aliumve ventum sufflaturum, longè ab eorum ortu, vnum vel alterum cauernæ meatum obturant, ventorum enim cognitio iis innata est, vt ab ipsis se tueri valeant. Hoc ordine Venatores si Echinorum latibula, eorumque sagacitatem compensabunt, nulla stellarum obseruatione habita, sed

ſolum ex cauernarum meatibus clauſis, vel apertis Ventorum indaginem conſequentur. Ex Plutarcho in Dialog.

Animi pudorem, timoremque humanorum corporum diuerſimodè faciem alterare.

MAgna inter animi pudorem, & timorem, cum vtrumque ſit triſtitiæ ſoboles, videtur diſparitas: quippe in pudore homines facie rubeſcunt, timentes verò palleſcunt. Natura (vt inquit Macrobius 7. Saturn.) cum quid ei occurrit honeſto pudore dignum, imum petendo penetrat ſanguinem, quo commoto, diffuſoque cutis tingitur, ruborque naſcitur. Theleſius autem (vt ex Taſſone citatur) faciem in pudore, voluit affectum recipere, & proinde erubeſcere. Hoc à ratione alienum haud eſt, ſiquidem volunt philoſophi naturam pudore tactam, ſanguinem, inſtar velamenti ante ſe tendere. Experientia inſuper hoc docet, erubeſcentes enim manum ſibi ante faciem frequenter opponunt. At timentes palleſcunt, quia natura cum quid extrinſecè occurrens metuit, in profundũ demergitur: ita & nos cũ timemus, latebras quærimus,

rimus,& loca occulentia. Natura itaque descendens, vt lateat, sanguinem secum trahit, quo demerso dilutior cuti humor remanet, pallorque succedit.

Animalia ex putri genita materia, in mundi primordio minimè fuisse.

QVæ ex putri materia generantur, sex animalium genera communiter existunt. Quædam enim, vt bibiones, quæ sunt minutissima animalia ex vini exhalationibus fiunt, vt papilliones ex aqua. Quædam ex humorum corruptionibus proueniunt: vt vermes in stercore, vel cisternis. Quædam ex cadaueribus, vt apes ex iumentis: crabrones, siue muscæ grandes, quæ volando sonant. Scarabei siue muscæ virides ex equis, vel canibus mortuis, scorpius de cancri mortui carnibus: serpēs de medulla spinæ humanæ. Quædam ex lignorum putredine, vt teredines, qui sunt vermes intra ligna, quando non abscinduntur tempore debito, exorti. Quædam ex fructuum corruptione, vt gurguliones ex fabis. Quædam ex herbarum corruptela, vt tineæ. Hæc autem in mundi principio immediate à Deo

creata fuisse, nulla ratio confiteri cogit cum ipsa naturaliter ex corruptione procedant, post autem mundi exordium huiusmodi ex corruptelis generationes euenisse verisimile est. Deus tamen seminarias causas horum materiis indidit: sine quibus oriri non potuissent. Abulensis in Genesi c 2.

De Stygis Arcadiæ mortifera natura, & Alexandri morte.

CIrca Nonacrin in Arcadia, fons quidam reperitur è petra exoriens, quæ Styx ab incolis appellatur, tantæ mortiferæ naturæ, vt summa celeritate corrũpat corpora. Equidem protinus hausta (Senecæ testimonio 3.quæst.natur.) induratur, instarque gypsi sub humore constringitur, & ligat viscera. Quia autem, nec odore, nec sapore notabilis est, sæpè aduenas fallit, nec eis epota, amplius remedio locus est. Ferunt non ære, non ferro, non testa aquam huiusmodi contineri, nec aliter quam in equi vngula ferri posse. Huius veneni potu, magnum Alexandrum in Babilonia fuisse extinctum multi scriptores referũt: ille, accepto poculo à

culo à Theſſalo medico, ob aquæ ferita-
tem in media potione repente veluti te-
lo confixus ingemuit, elatuſque (vt ait
Iuſtinus) è conuiuio ſemianimis, tanto
dolore cruciatus eſt, vt ferrum in reme-
dia poſceret, tactumque hominum velut
vulnera indoleſceret.

Achores tineaſque capitis, ex bufonis oleò feliciter ſanari.

DVm iuuenis in Alberone oppido prope Luceriam Apuliæ ſemel medicinam facerem, ibi quendam achoribus, tineiſque per multos annos turpiter affectum (cui varia fuerant applicata remedia, omnia tamen inutiliter propter morbi reſiſtentiam) reperi. Tandem noſtro conſilio hic electo ex pharmacho purgatus, ſolum linimẽto ex oleo in quo ad exactam coctionem Bufo, ſiue Rana terreſtris ebullierat, optimè curatus eſt, quippe ſimplici hoc remedio per paucos dies in capite vtens, ſanus, & capillatus factus eſt, durante autem linimento pili emortui, vulſellis à chirurgo extirpabantur.

De Cerui lachryma, eiusque in ciendo sudore potentia.

TAntæ creditur esse efficaciæ Cerui lachryma in sudore ciendo, vt si grana quinque vel sex potui dentur, totum corpus ferè solui iudicemus. De hac loquens Abinzoar lib.1.tract. 13. c.6.se tria grana Azir filio Regij magistri equitum in lacte, vel aqua cucurbitæ, vel rosatæ exhibuisse retulit, illumque à virulento ictero liberasse. Hæc autem in Ceruis ante centesimum annum (testimonio Scaligeri) nulla est, temporis autem processu generatur, & in iuglandis molem accrescit. Dicitur magnam habere ad venenum efficaciam, vt in Asia felicissimo successu sæpè experiuntur.

Vires infirmorum collapsas, odoribus resarciri posse.

INfirmorum deperditas vires non potionibus modo, verum atque odoribus restaurari posse obseruatum est. Aiũt enim Democritum in dies aliquot, amicorum gratia pomi odore vitam sibi progasse. Hinc multi, panem calidum vino odo-

odorifero immersum naribus admouent ægrorum, quem si temporibus, & costis cataplasmatis more imponimus, vtique vires egregie restituimus. Conciliator Apponensis moribundam vitam ex croco, & castoreo contusis, vinoque commistis producere se consueuisse testatur, senibusque eam compositionem exhibuisse, nullatenus olfactu magis quàm potu profuisse. Ferrerius lib. 2. Method.

De olei Balnei mirifica in morbis præstantia.

OLei Balneum, vt Herodotus antiquissimus medicus prodidit, iis qui à diuturnis affliguntur febribus, à lassitudine, vel neruosarum partium doloribus oppressis, conuulsis, & vrinæ, suppressis laudatissimum ac salutare esse remedium experimur. Vidit huius præsidij experiẽtiam Heurnius in quodam extenuato, ac ferè exhausto, dum esset Patauij: illum enim validissima occupauerat conuulsio, at tepidi olei pleno vase immersus, ac fotus, sanus euasit. In lib. nostro de Hydron. nat.

Adam, & suos contemporaneos, perfectissimam rerum naturalium habuisse cognitionem.

INter alias rationes, quas Abulensis in Genes. in c. 1. de lõgissimà vita primorum parentum, qui annum ferè millesimum attingebant, retulit, hanc adduxit, quod Adam rerum naturalium perfectã à Deo cognitionem habuit. Intellexit enim fructuum, herbarum, lapidum, lignorum, animalium, mineraliumque virtutes, & doctrinam, quibus vita humana diutius conseruari poterat, quæ omnia contemporaneos, (vt ipsi etiam vitã producerent longissimè) edocuit. Hæc autem cognitio, & ex diluuio, & gentium diuisione perdita est. Reperiuntur tamen in præsentiarum multa mirabilia, naturæque secretissima apud sapientes, à têporum iniuria forsitan vindicata, quæ aliquando homines videntes, aut audientes, tanquam supernaturalia opera admirantur.

Rutam inter alexiteria medicamenta connumerari.

INter alexipharmaca præsidia, Rutam minimæ conditionis haud esse perhibent,

bent, ſiquidem ieiuno ſtomaco comeſta multos à veneni virulentia liberaſſe legitur. De hac Atheneus in 3. Deipn. loquens. Archelaum Ponti Regem ſuos populos veneno interimere conſueuiſſe ſcribit: illos autem à quibuſdam edoctos, ob id antequam è domibus egrederentur, quotidiè Rutam edere ſolitos, à Tiranni crudelitate ſe defendere potuiſſe.

Sola ſuſpenſione, capitis excruciatus Verbenam mitigare.

MIrabilis eſt Verbenæ proprietas in dolore capitis mitigando, ſiquidem à Petro Foreſto traditur hoc ſolo præſidio quendam fuiſſe perſanatum. Ille nullis remediis, quamuis optimis, curari potuerat, non venæ ſectione, non ſyrupis digerentibus, neque decoctis, pilulis, cucurbitulis, nec aliis topicis auxiliis. Cum autem nulla iuuarent remedia, ad collum Verbena viridis appenſa eſt, & ſanus factus eſt, lib. 9. obſer. 3.

De Thapſiæ virtute in ſugillatis ſanandis, Neroniſque calliditate.

NEro Imperator in ſui Imperij exordio Thapſiam, eiuſque excellentiam

magnificauit. Ille quidem dum noctu incederet incognitus & in multos impetus faceret, non semel facies sugillata, cutisque liuida, pistaque ab illis fuerat. Confestim hic ex Thapsia, thure & cera commista linimento liuentem visum collinibat, quo præsidio ante lucem à fæda sugillatione liberabatur, dum autem die in populi conspectu faciem sanam ostenderet, facinoris sui famam, & ignominiã occultabat. Ex Durante in Herbario.

Obstetricibus animaduersio.

IN fœminarum vmbilico præcidendo diligentia adhibenda est, quippe si nimium curtè vmbilicus religatur, ætatis progressu pariendi conatum restringere, imminenti vitæ periculo, potest. Ex Matthia Cornace.

De arboris ficus mirabili natura.

SI gallinaceas carnes, & teneriores, & coctu faciles habere desideramus, in arbore ficus eas suspendemus, ita votum nostrum procul dubio assequemur: credo forsitan ob acutum, & incisiuum odoré, quem

quem arbor ſpirat id cauſari, vel forſitan occulta cæcaque proprietate. At quod mirabilius in huius arboris natura eſt. Taurum indomitum, ferumque in eodem alligatum manſueſcere tradunt. Neſcio autem an naturali via propter odorem, an aliqua antipathia, quæ inter talia exiſtat hoc eueniat. Audiui tamen à multis vtrumque experientia fuiſſe confirmatum.

Quomodo à Vitriolo æris laminas extrahere valeamus.

INter chimicæ artis arcana, non eſt parui momenti illa cognitio, quomodo à Vitriolo æris lamellæ extrahantur: aperiam modum, qua facilitate, id aſſequi valeamus. Bulliatur Romanum vitriolũ in olla cum aqua fontis: in eaque chalybis lamina per horæ quaternionem demergatur: extrahito demum chalybem, ipſum enim lamellis æris inſtar æruginis colligatum habebis, quæ cultro radendæ ſunt, vt aliàs chalybẽ immergere poſſis, nouaſque lamellas extrahere: ſiquidem tamdiù corradi poterunt, quouſque vitrioli portio in aqua fuerit. Arrigat aures

ingenioſus, quia ex hoc minimo principio multa, præcipuè in re medica, quam vtilia aſſequetur.

Oleum vitrioli, & ſulphuris contra lumbricos plurimum valere.

NIſi magnis experimentis præſtantiſſimum remedium ad puerorum lumbricos comprobaſſem, haud auderē hic inter arcana ſelecta fore reponendū confiteri: quippe tanta eſt eius virtus, & potentia, vt mortuos ferè pueros è vermibus ad vitam trahat. Hac induſtria paratur. In libris ſingulis aquæ fontis olei ſulphuris, vel vitrioli chimicè extractorum, aliquot guttulæ addendæ ſunt, ita vt aqua acidula fiat, quæ pueris, natuque maioribus danda eſt, diù noctúque ad placitum, eſt enim præſtantiſſimæ virtutis.

De Caraba mirabili virtute in vuulæ caſum, Amydalarumque tumores.

MArtinus Rulandus vir in chimicis celeberrimus, in Amygdalarum inflāmatione, & tumore, vuulæque caſu ex humori-

humoribus à capite fluentibus excitatis sola Caraba mirabilia parauit. Primo suffimentum consulebat, hoc modo exceptum. Accipiebat Carabæ albiss. drach. 1. qua redacta in puluerem crassiorem, & carbonibus imposita, fumus per infundibulum ore excipiebatur ab ægro mane, meridie, & vesperi, multa vtilitate. Accipiebat etiam fermenti veteris vnc. 1. quã more emplastri linteolo inducebat, aspersoque Carabæ albæ puluere vertici imponebat per diem, per noctem verò sequentem recens applicabat. Quibus paucis remediis, & ex sola quasi Caraba, quam plurimos à faucium tumoribus, vuulæque casu, Amygdalarumque inflamationibus oppressos persanauit. Ex eius Curationibus.

Spinæ infectoriæ Baccas ad Tenesmum ex salsa pituita, expertissimum, verumque ad illum existere remedium.

EST mihi remedium pro tenesmo adeò expertum, vt confiteor hyeme quadam fortasse mille hominum, qui endemiali ferè morbo hic lugebant persanasse quam citissime. Syrupum ex Baccis

ſpinæ ceruinæ, ſiue infectoriæ Aromatario parari iuſſeram. Hæc in fine Octobris, cum bene maturuerunt, colligũtur, expreſſoque ſucco cum melle, vel ſaccaro ad formam ſyrupi ducitur: additurque in fine maſticis, vel zinziberis, aniſi, vel cinamomi ad drach. j. vel in maiori doſi, ſi libuerit. Datur hic ſyrup. ab vnc. 1. vſque ad duas cum pauco vino dilutus, in abſtemiis datur cum aqua cinamomi: epoto, cibatur æger, parcę tamen, & ieiuno ſtomacho, præcipiturque ne dormiat. Equidem vna die ſanatur æger, ſoluitur enim aluus, abſque moleſtia, & excretis ſeroſis, viſcidiſque humoribus ſolo hoc præſidio integrè liberatur.

Arietis linguam futurum in ouibus lanitium commonſtrare.

MIrantur multi Virgilium in 3. Georg. libro in Arietibus monere, vt linguã paſtores conſpicere debeant: deſinãt autem admirari, cauſam enim adducimus ex Plinio, qui propterea Arietum ora introſpici à paſtoribus voluit, quia cuius coloris ij linguam habuerint, tale in fœtibus generandis fore lanitium. Audiui à

multis

multis hoc verissimum reperiri. Ouis enim etiam cum vterum gerit, si linguam habuerit nigram nigrum pariet agnum, si albam album,& sic de aliis coloribus.

Ridiculum est,quod fertur,Basiliscum à Galli ouo excludi.

NOn modo à plebeis, verum atque à nonnullis studiosis, Basiliscum ab ouo Galli veteris connasci perhibetur. Fingunt hi ex aliquorum scriptorum testimonio,quos etiam ego perlegi à Gallo decrepito,qui septimum,aut nonum,vel ad summum decimumquartum annum agat,ex putrefacto semine,aut humorum illuuie æstiuo tempore, ouum conflari, ex quo ab eodem foto (vt à Gallinis alia fouentur oua)Basiliscus oriatur. Sed hoc animal nemo vidit,habitat enim (auctore Plinio)in Aphricæ solitudinibus: proinde hæc credere difficile est. Insuper si hanc speciem masculinam posse fætare concessum esset, contingeret etiam in aliis,quod minimè obseruamus, Mihi aliquot oua in experimentum à mulierculis allata sunt,dicentibus, Gallum peperisse:erant oblonga, & in caudam serpē-

tis quibusdam nodulis terminabantur: at hæc à Gallinis ex plurium ouorum minutorum colligantia, seu superfætatione, non autem à Gallis fieri dixi.

Homines ex improuiso Lupi aspectu veluti mutos, & attonitos fieri.

VVlgatissimum illud est, homines ex improuiso Lupi aspec. adeo mutos, & attonitos fieri, vt nec fari, nec vociferari valeant. A Lupi quadam proprietate id fieri asserunt, contendentes, Lupum, si prior obuium quempiam conspexerit, illico vocem adimere, eandemque illum luere pœnam, si ab homine prius videatur. At hæ nugæ sunt. Siquidem ex terribili, improuisoque Lupi aspectu, homines terreri, timoreque concuti, verisimile est: ex timore autem valido membra frigefieri ex raptu ad interiora spirituum, inde corporis, & artuum fieri impedimentum, vocisque priuationem mirum non est. Alij, alia fingunt, mihi autem hæc omnia ad solum timorem, tanquam ad causam proportionatam reducere visum est.

Man-

Multa facinora à magis aniculis perpetrari posse.

RElulit Leonardus Vairus lib. I. de Fascino, Multas hac nostra tẽpestate existere aniculas, quarum impuritate, nõ paucos effascinari pueros, illosque non modo in grauissimum incidere discrimẽ, verum atque acerbam sæpissimè subire mortem. Pecudes insuper partu, & lacte priuari, equos macrescere, & emori, segetes, absque fructu colligi, arbores arescere, ac denique omnia pessum iri quandoque videri.

A Fuco vulnera illata, Muscis contritis breui spatio persanari.

CVm quadam die apud amicos aliquot commorarer, & læti in mensa de more varia confabularemur, ecce vnus ex iis in superiori labro à Fuco animali vulneratur, quo morsu statim intumuit vulnus, cum maximo patiẽtis dolore. Amici in risum promoti, patientis medelam minime procurabant. Ego quidẽ aliàs morsus hos curasse recordabar: quare confestim, vt nonnullas muscas seruus

meus caperet, iussi, quas contritas, dum super morsum imposuisset, breui dolor sedatus est, tumorque cum maxima patientis lætitia, aliorumque admiratione detumuit.

Qua facilitate Vlcera formicantia, & cacoëthica sanari valeant.

QVidam amicus meus, cum in Hypocōdriis, vlcera formicātia, prauaque quæ à nonnullis vermes dicuntur, passus esset, sanitatem, post multa à doctissimis medicis tentata remedia, acquirere non potuit: vlcera enim licet sanari viderentur, renouationem tamen continuo recipiebant. Vltimò post annos, & menses in empiricum chirurgum incidit, qui paucorum dierum spatio, ita hominem persanauit. Abluebat primo vlcera albo vino, tum ex patellis marinis puluerem, siue cinerem ex corticibus (exemptis interioribus) conspargebat, vltimo herba marina vlcera cooperiebat, fasciaque premebat, semel in die hoc vsus remedio viginti dierum spatio æger conualuit. Procurauit arcanum amicus, & mihi fideliter communicauit.

Falsæ-

Falsissimum est, quod fertur, Viperam in coitu masculum occidere, ipsamque à suis catulis in partu necari.

A Grauissimis auctoribus affirmatur, Viperam in coitu (accepto semine) masculi caput excidere (ille enim in fœminæ os inserit) & sic eum occidere, sed pœnam tanti facti, illam luere, siquidem Viperini catuli concepti grandiores facti viscera matris corrodunt, eamque occidunt. Sic voluit Plinius lib. 10. & Nicander in Theriacis, quare Viperam aiunt dici ab eo, quod vi pereat, aut vi pariat. Vtrumque autem falsissimum esse, & experientia, & grauissimorum etiam scriptorum auctoritate cognitum est. Apollonius apud Philostratum Viperam aliquando visam fuisse catulos suos, quos peperisset lambere, & expolire asseruit. Bodinus in nat. theatr. lib. 3. in Gallia, ad Clanum Pictauorum flumen, vbi Viperæ frequentiores sunt, vtriusque sexus Viperas lagenis vitreis inclusas fuisse retulit, illasque peperisse, & concepisse vtroque parente superstite. Matthiolus ex Obseruatione Ferdinandi Imperati Neapol. Pharmac. Viperam parere catulos

ſuos,& non occidi aſſeruit, catuloſque non viſcera matris, ſed membranas quibus includuntur diſrumpere. Quare rectius ſentimus, ſi Viperam non à vi parere, vel perire dicimus, ſed quaſi Viuiparam, quod non oua, vt cæteri ſerpentes, ſed viuum animal pariat.

Traulos, balbos, & ſemilingues fieri ob nimiam cerebri humiditatem, vt communis eſt ſententia, ab experientia alienum reperitur.

TRauli, & Balbi non ob cerebri humimidam intemperiem fiunt, vt ferè omnes autumant. inueniuntur enim hi modo calidi, modo frigidi, modo humidi, vel ſicci, vt & reliqui qui nec Trauli, nec Balbi ſunt: imò & hi modo ſputis abundant, modo iis carent: quare non ob humiditatem nimiam cerebri huiuſmodi, Traulos, & Balbos fieri, ſed ob varietatem meatuum in inſtrumentis pertinentibus ad locutionem exiſtentium, docuit experientia. Porrò Traulis qui literam R, exprimere nequeunt, in media palati regione, vbi quartum eſt os ſuperioris maxillæ, duo inueniuntur foramina, quæ nullo modo

modo adeo aperta, & obuia sunt, vt iis, qui optimè loquuntur. Balbis verò iuxta dentes maiora obseruamus foramina, per quæ stillans pituita, linguamque irrigans in parte illa anteriori, blesam locutioné facit, vnde blesi, & semilingues fiût: quod si hæc non essent, haud balbutirent, licet à capite copiosa descenderet pituita, vt multis contingit, qui ex hac tamẽ Balbi non fiunt. Quare sententia Hippocratis 2. Aphor. 32. malè verificatur, cum asserat Balbos ob frigidam, humidamque capitis intemperiem fluxu tentari: fluxio enim talis, & Balbis, & nõ Balbis succedit: cõcurrit tamẽ hæc fluxio, vt causa remota, quæ aliquando cú proxima dicitur affectum facere posse, si iuncta fuerit: sola autem facere nequit, vt malè Hippocrates, & alij opinati sunt. Ex Sanctorio Sanctor. de vit. err. lib. 3.

Morbas perniciosos, vel mortem, vel affectus longitudinem inducere.

ANno qui fuit Iubilei 1600. in Nolana ciuitate, & in circumuicinis propè Neapolim perniciosissimi orti sunt morbi, vt in sectis aliquibus corporibus,

eorum Ventriculus bilis copia vitellinæ plenus inuentus eſt, eiuſque tunicæ, & inteſtina eodem colore pertincta viſa ſunt. Meatus qui ad fellis ciſtim protendit, ab humoribus craſſis, viſcoſis, & tenacibus obſtructus erat. Fellis veſica diſſecta bilis flaua haud inuenta eſt, ſed eius vice atra, & inſtar atramenti nigerrima. Hepar quoad externam partem album erat, in interna autem nigrum, & atrum, veluti carbo accenſus, & extinctus. Languentes, in febrium initio, vomitu, & nauſea moleſtabantur. Eorum lotia craſſa, ictericia, & ſubrubra ſemper erãt. Omnes ferè erant icterici, & longo tempore, ſi qui euadebant, indigebant, vt ſanitatem acquirerent. Ex Io. Bapt. Cauallario de Morbo Nolano, ſeu de morbo epidemiali.

Lupi cur pauci reperiantur, oues autem multæ.

VIdetur quaſi abſtruſum illud quæſitum, cur pauci reperiantur lupi, oues autem multæ? Profecto in partu plures lupa edit catulos, quam ouis, quæ vnicũ, vel plurimum parit. Inſuper oues, & agni

in

in hominum alimoniam continuo occiduntur, luporum autem caro eſui apta non probatur, nullatenus oues, agni, & arietes ſemper in maiori numero reperiuntur, quam lupi. Huius cauſa, prima eſt Dei bonitas, qui tam immane animal in eius ſpecie excreſcere non permittit, in ſacra enim Geneſi c.7. Noe, vt ex omnibus animantibus mundis ſeptena, & ſeptena maſculum, & fœminam in arcam tolleret monitus eſt: ex immundis vero duo, & duo maſculum, & fœminam. Secunda cauſa luporum eſt ſagacitas, & in propriam ſpeciem immanitas. Hi enim, cum ratio viuendi deficit, ob cibi inopiam in multo numero conueniunt: atque in circulo vnus poſt alium currit, vt apud vulgum, ex villicis paratur ludus, diciturque Rotalupo. primus autem, qui propter curſum, vel paucis viribus in terram cadit, fit aliorum cibus, renouaturque ludus ad omnium ſaturitatem. Hæc eſt potiſſima ratio huius ſpeciei decrementi, alius enim comedit alium. Ex Aeliano vt reor.

Antimonii in vitrum reductio, eiusque vires in medicina.

VItri ſtibium, quod in longis, & diffi-cilibus morbis propinatur, in epile-pſia ſcilicet, melancholia, podagra, ele-phanticis, reſolutione, in febribus quo-tidianis, tertianis, & quartanis peſtilen-tia correptis, venenatis, hydropicis, cepha-leis, ictericis, & ſimilibus, robuſtis tamen corporibus, ita præparatur. Stibium, quod ex auri fodinis colligitur, in puluerem te-nuiſſimum contunditur, teriturque & ſu-pra ignem in fictili, rude ferrea, aut co-cleari continuo agitando vritur, vſque dũ omnis humor, ac fumus euaneſcat, quod in ſex, aut octo horarum ſpatio expedi-tur: deinde calx conteritur, catilloque im-poſita, in fornacem inter candentes car-bones collocatur, & igne luculentiſſimo vrgetur, dum liqueſcat picis inſtar, poſtea ſuper marmor funditur, atque ſic ex Sti-bij vnciis duodecim, vitri ipſius hyacin-thi modo pellucidi, vncias quinque colli-ges. Andernacus Comment. 2. Dialog. 7. de nou. & vet. med.

Sola

Solo Metrenchitæ auxilio mulieres esse prægnantes (omissis cæteris indiciis) experimur.

MVlta apud scriptores, quibus in primis mensibus mulierem prægnantem comprehendere valeamus , indicia reperiuntur. Dicunt multi, lotij inspectione grauidas nosci, si illud album, clarumque fuerit, in eoque atomi ascendentes,& descendentes apparuerint. Alij ex suppressis mensibus , deiecto appetitu, vomitu,& nausea ante prandium id consequuntur. Nonnulli ex lacte in mammillis , ex arteriis gulæ si plus iusto pulsant,ex lentiginibus si in mulieris facie oriuntur,ex tumefactis mãmillis, & a fusco earum capitum colore prægnãtes venantur. Cæteri tum ex his,tum ex pondere circa pecten,ex vmbilici egressu,si in dies fit maior, ex tumefactis venis, quæ videntur in narium angulis iuxta lachrymalia. Obstetrices digitis experiuntur an vteri orificium sit clausum, vel apertum: ex clauso enim grauidationem patefaciũt. Non desunt alij, qui Hippocratis Aphorismis confisi hydromel, & suffumigia experiuntur, epoto enim hydromelle

post cænam, si tormina sequentur arguit prægnantem esse mulierem. Si illa suffumigio acuto per pudenda vsa fuerit, si ad nares odores non perueniunt, indicant vtero esse gerentem. Hæc autem signa, quia patognomica non sunt, veluti futilia reiicimus, & tanquam absurda ad meros Empiricos committimus. Non enim ex lotij aspectu, verè mulierem esse prægnantem diuinare possumus, nam meatus vrinarius cum vtero nihil habet, lotiique claritas, albedo, & bullosa granula in eo possunt morbos etiam significare, vt in cacochimo corpore sæpius obseruamus: hoc itaque indicium prægnantium verum non est. Non ex mẽsibus suppressis, non ex vomitu, & nausea, siue appetitus deiectione hoc consequimur: quia affectiones hæ ex multis causis, in mulieribus, quæ prægnantes non sunt, euenire possunt. Non ex lacte in mammillis, quia id etiam virgines habere possunt, vt voluit Hippocr. Insuper multæ mulieres in primis mensibus lac non habent: lac ergo non est grauidationis verum indicium. Pulsatio arteriarum gulæ, solito crebrior conceptum peculiariter haud arguit, quia ex retentis mensibus splenis, &

ven

tris tumore,& ex pituita in pectore collecta etiam fieri poteſt. Lentigines non in ſolo conceptu apparent, quippe ſignum hoc,neque omnibus, neque ſemper competit,& in non prægnantibus etiam fiũt. Mammillæ tumefactæ, earumque capitũ fuſcus color communia ſigna ſunt, & retentis menſibus, & prægnantibus. Pondus circa pecten, non in grauidis modo, ſed in retentis menſibus in mola, & veſicæ calculo obſeruatur. Vmbilici egreſſus ex multis cauſis præter naturam fieri poteſt, non ergo peculiare grauidarum indicium eſt. Venæ tumefactæ in narium angulis iuxta lachrymalia, non in grauidis modo apparent, ſed in quolibet abdominis, & ſplenis tumore, & in occluſis menſibus. Obſtetrices anatomiæ ignaræ nequeunt intimum Vteri orificium tangere,licet manibus contractent, illud enim valde à labiis matricis diſtans eſt, ipſæ autem externum Vteri tantummodo orificium tractare poſſunt, quod ſemper & grauidis & non grauidis apertum manet. Experimentum Hippocratis de hydromelle & acuto ſuffumigio non æternæ veritatis eſt,vt Galenus, & Auicenna comprobarunt. His itaque indiciis vere

conceptum explorari non posse explanatum est. Cognoscimus tamen signo euidenti, & infallibili indicio prægnantes mulieres in primis mensibus Metrenchitæ siue Specilli, quo liquores in Vterum iniiciuntur, auxilio: hoc apud veteres in magno vsu erat. Profectò, si illius in foramẽ Vteri externum apicem immittimus, quod summa cum dexteritate sinistræ manus digito indice inueniemus (non enim quilibet inexpertus inuenire sciet, est siquidem externum Vteri foramen in vuluæ apice particula oblonga, & duriuscula, quæ exigui penis puerorum exprimit imaginem) si ex apice specilli liquor aliquis suauissimus, sicut esset vini tenuissimi pauxillum, ne forte existente conceptu sequatur abortus, exprimitur, breui tractu votum assequemur. Si enim obturatum est intimum vteri foramen, quod fit conceptu peracto, liquor Vterum non ingreditur, & mulier fastidij nihil persentiet. Sin autem ex intromisso liquore vellicationem paruam pertulerit mulier, quod facile fiet ex maximo sensu partiũ vteri, vtique grauida non erit, & vteri intimum foramen apertum reperietur, vt experientia liquoris ostendet. Sanctor.

Sanctor.lib.1.de vitand.error.

Periculoſum eſt piſces frixos in humido loco reſeruatos comedere.

INter magna venena piſcium frixorum, qui reſeruantur in humido, vel qui ſteterint cooperti calido vaſculo, eſus eſt, hi enim in lethiferum commutantur venenum, & ſymptomata pernicioſorum fungorum corporibus inferunt, quæ quandoque non ſtatim, ſed poſt diem, vel biduum eueniunt: oportet igitur frixos piſces in loco aperto, vt frigeant, demittere, ſi veneni malitiam cupimus euitare. Ex Arnaldo Villan.in lib.de venenis.

Lactis balneum pro corporis decoratione multum præſtare.

APud veteres lactis Balneum maximo erat in vſu, illius ſiquidem lotione, corpora, & candore, & venuſtate vigebant. Hinc memoriæ proditum eſt Poppeiam Neronis vxorem quingentas ſecum aſellas ducere conſueuiſſe, quarum lacte, vt candeſieret, totum corpus bal-

neabatur. Mercurialis de Decoratione.

Germani antiquitùs corporis firmitudini maximè vacabant.

MAgna profectò laude Germanorum consuetudo, digna iudicatur, in corporum hominum vigore confirmando: ij enim legem habuerunt, ne ante ætatis vigesimum annum, quispiam Venereis amplexibus commisceretur, rectè compensantes corporum vires à nimis tempestiuo coitu eneruari. Cæsar 6. de bello Gallico.

Fœminas vtero gerentes, libenter marem admittere: bruta autem grauida nequaquam.

QVam dissideat mulier à brutis grauidationis tempore bene nouit Arist. 7. de hist animal. cap. 4. Hæc enim si grauida est, marem admittit, brutorum vero omnium sola equa coitum patitur à conceptu, reliqua autem minime. Manifestissimum est hoc in specie humana mulierem grauidam coitum pati, & appetere.

Cicutam, vterinum furorem extinguere.

LIcet cicuta inter frigida connumeretur venena, præcipuè quæ in aquis, & lacubus inuenitur, furoris tamen vterini, siue Satyriasis remedium est. Hic affectus veneris est immoderatus appetitus, cum vteri ardore, & delirio. Narrat Diuus Basilius quasdam vidisse fœminas, quæ Cicutæ potione rabiosas cupiditates extinxerunt. Hoc legitur 7. Homil. sup. Hexameron, cuius verba nonnulli intelligunt de ciborum appetitu, ego tamen potius ad furorem vterinum, & ad venereos incentiuos appetitus deducerem, cuius auxilio compescuntur: quippe Athenienses sacerdotes cicutæ vsu, libidinis incendia extinguere consueuisse proditum est.

Variolas, & morbillos, morbos esse nouos, & hæreditaria, & paterna proprietate vagari.

MAgna est discordia inter scriptores de Variolarum, morbillorumque origine. Afferunt multi, hos sub nomine exanthematum, veteres intellexisse, causasque illorum reliquias esse excrementi

ſanguinis menſtrui, quo nutriuntur fœtus in vtero, & naturam, ſiue calorem naturalem, ita exprimunt materiam & efficientem. Alij minime à veteribus fuiſſe cognitos volunt, digladianturque num vitio cœli, vel ab internis corporis principiis apparuerint: quippe Arabes, quorum tempore cæpiſſe hic morbus creditur, eos peſtem eſſe, fierique in peſte, & à corrupto cœlo contendunt. Equidem ante Arabũ tempora nullus reperitur auctor, à quo morbos hos, aut generatos, aut clare explicatos habeamus. Propterea multi Latini, & nonnulli inter ipſos Arabes, propter labem menſtrualem, lactis corruptionem, victus rationem, & alias cauſas fieri ſcripſerunt. In tanta rerum difficultate, & obſcuritate Hieronymus Mercurialis vir doctiſſimus, hos eſſe morbos hæreditarios, ortumque à cœli vitio, tempore ſcriptorum Arabum, & proinde à veteribus haud fuiſſe cognitos enucleauit. Ad huius viri opinionem libenter deuenio, quippe ſi à menſtrui vitio, homines inficerentur, quia hoc ab Euæ peccato à mundi origine ſempiternum fuit, debuiſſent homines hac menſtruorum labe contacti ſemper Variolas, & Morbillos

billos pati, tamen nec in prima ætate, nec post Noe, nec ante scriptores Arabes quempiam hos habuisse, aperte legitur. Aperiunt istorum fundamentum esse inualidum bruta sanguinea hæc enim (testimonio Aristot. 6. de histor. animal. 18.) menstruas purgationes habent, & inter cætera Equus, Canis, & Asinus, tamẽ hæc à Variolis, & Morbillis non tentantur. At quod huius rei magis negotium conualidat, est Indos ante Hispanorum transitũ nequaquam Variolas passos, idcirco non à reliquiis nutrimenti à menstruo sanguine, vel ab istius excremento ortum ducunt Morbilli quia si à tali fuissent variolarum, morbillorumque origines, vtique ii hos morbos experti fuissent. Legitur apud Ramusiũ Indiæ incolas, vitio Cœli pene plurimos Variolis fuisse extinctos, eoque tempore, quo nostri ab illis gallicam luem acceperunt, eosdemmet vicissim à nostris Variolas, & Morbillos recepisse. Sunt ergo hi morbi noui à Cœlo producti primò, cuius vitio adeo homines fœdati sunt, vt in posteros per hæreditatem mali seminarias causas transmittant, proinde morbi hæreditarij dici merentur, quia paterna proprietate va-

gantur. Ex Mercuriali.

De araneorum telis earumque vsu in medicina.

MIro artificio Araneus telas orditur, quibus muſcas pro victu capiat: has ad Tertianæ febris circuitus depellēdos, multi præſtantes & celebres tempeſtatis noſtræ medici, non ſine felici ſucceſſu in vſum præſtitere: ſi quidem ex iis, & populeo vnguento pilulas parant, corporiſque locis, horis aliquot ante acceſſionem, in quibus arteriarum euidens deprehenditur pulſatio colligant, & relinquunt, inde votum conſequuntur: Ioannes Moibanus.

Naturæ cautela in menſtruali mulierum ſanguine purgando maxima eſt.

MAgna eſt, in depurandis fœminarū corporibus à menſtruali lue, naturæ ſagacitas, quippe ſi occluſos habuerit meatus, quibus ſingulis menſibus illam deponere conſueuerit, nouas ad illius expulſionem vias molitur. Propterea fœminarum multæ, ex oculis cruentas lachry-

chrymas, aliæ ex narium venis ſanguinis profluuium emiſere, nonnullæ ſputa rubentia paſſæ ſunt in menſtruorum ceſſatione. Ipſe in quadam ancilla noſtra, cui menſtrua occluſa erant, ex gingiuis ſanguinem profundere obſeruaui. At quod magnam infert admirationem, multæ per minimum manus digitum, & per annularem ſingulis menſibus ſanguinis fuſionẽ habuerunt, vt in religioſa quadam fœmina non menſtruante ter in ſiniſtra manu Ludouicus Mercatus famigeratus medicus obſeruauit.

Inter rutam, & braſſicam nullam ineſſe antipathiam.

EX ſcriptoribus in re ruſtica multi, ſi ſecus rutam feratur, braſſicam illico areſcere tradunt. Aliam non adducunt cauſam, & rationem, quam antipathiam, & diſparitatem quandam inter talium naturam. Futile autem eſt horum argumentum, nulla enim inter rutam, & braſſicam contrarietas eſt, quia tamen altera ſecus alteram areſcit, id in cauſa eſſe poteſt, quia vtraque calida, & ſicca eſt, inde facile euenire poteſt, vt ob humidi-

tatis inopiam altera, vel ambæ ariditate perdantur.

Pediculos morientium corpora mira sagacitate relinquere.

NOn leue à Medicis præsagium à pediculis in grauibus hominum valetudinibus carpitur. Hi profectò in morituris, quando adeo intensa est humorum corruptela, vt calor innatus resoluatur, vel putrescat, circa ventriculi regionem, vel sub mēto, vbi maior est caliditas congregantur, partesque extremas tanquam calore proprio orbatas derelinquunt, quod calorem proprium, si penitus exolui cognouerint, ab infirmi corpore mira celeritate longius abesse conspiciuntur. Lemnius.

De Achatis lapidis mirabili natura.

ACHATES lapis, qui ex India fertur, tū coloribus diuersis, tum venis variari conspicitur, ex quorum intersectione diuersæ imagines multoties fabricantur. Quod autem mirabilius est, nunc ferarū genera, flores, aut nemora, nunc volucres,

aut Regum naturales hic lapis portendit effigies: quippe in Achate Pyrrhi Regis fertur,& caput ipsius, & septem arbores in quadam planitie apparentes extitisse. Ex Camillo Leonardo de lapidib.

Ferarum natura in hominibus mirum in modum detestatur.

NOn est à ratione alienum, quod de Rege Attila circumfertur,quod Canis in morem latrasset: quippe Ioannes Langius clari nominis medicus ab equitibus Comitis Palatini se audiuisse retulit,quod in Austria hominem, qui latratu,ac cursus pernicitate cum canibus cõtenderet, & cum illis in syluis illæsus venaretur, vidissent. Hæc autem natura, absque dubio detestanda est, quippe tales immanes sunt,& in hominum occisiones procliues, vt Attila crudelissimus fuit,in viuentium cædes pronus, à quo tot Vrbes,& populi suffossi sunt.

Non modò in fœminas lasciuire homines, verum atque bruta cernuntur.

HOmines lasciuire in fœminas, nec nouum,nec inauditum est,cũ ambo

ſub humana ſpecie contineantur. Quo[d] autem bruta in eaſque laſciuiant, mirabile eſt. Plutarchus in Dialog. Elephãtem in Alexandria fœminam quandam, quæ coronas ſutiles componebat adamaſſe, fuiſſeque Ariſtophano Grammatico riualem, retulit. Amicæ per plateam tranſiens Elephas & poma & fructus donabat, multiſque indiciis, & amorem, & ad ſeruitutem promptitudinem declarabat, ſæpeque à latere aſſidebat, & laſciue mãmarum loca tangebat. Serpẽs etiam quidam (teſtimonio eiuſdem) puellam ardẽtiſſimè adamauit, noctu ad illam accedebat, placideque amplectabatur, & à latere dormiebat, luce autem aduentante nulla illata læſione diſcedebat. Parentes, ne à ſerpente læderetur, aliò puellam aſportarunt. Ille autem poſt huc illuc aliquot gyros, ad amicam vltimò peruenit, quam non more ſolito amplexa: ſed quadam amantium ira in illam irruit, manuſque puellæ nodis ex corpore vinciens, caudæ extremitate amicæ tibias verberibus cædebat: ita profecto præteritæ fugæ, atque abſentiæ vlciſci videbatur.

Quo-

Quomodo fœminæ vtero gerentes conceptum valeant occultare.

MAximam Sabini Romani vxoris in occultando conceptu referam sagacitatem, quo præsidio aliæ consimiliter, si opu~bunt fœminæ à conceptionis indiciis facili~r occultabũtur. Illa quidem dum aliæ mulie~ secum lauabantur vẽtris tumorem celare cu~ens, vnguento, quo ruffas, & aureas comas ~ddebat, ab vtero corpus vniuersum linire sole~. Illius erat vis pinguitudinem, siue carnis inflationem, aut laxitatem efficere, propterea cum large in corporis particulis vtebatur, illud tumefactum repletumque reddebat, ventrisque tumorem occultabat. Parabatur (vt puto) vnguentum ex rebus rubificantibus, & vesicas inducentibus, calce scilicet, auripigmento, thapsia, & sulphure, hæc enim aliis rebus commista veteres ad capillorum cultum capiebant: sin autem in aliqua corporis particula applicantur ex magna caloris vi, aut humores ex alto ad summum trahuntur, aut ipsis fusis gignuntur flatus, cutis & extima corporis superficies attollitur, & in maiorem molem ducitur. Ex Plutarc.

in lib. ἱερωδικῆς.

Fructuum, vinearum, iumentorúmque interitus præsagium.

MAgnum à mori germine capitur præsagiũ. Morus enim ideo à Theophrasto prudentissima vocatur, quia omnium nouissima germinat, & à pruinis nõ tãgitur: Idcirco fructus, & Vineæ à mori germinatione à pruinis liberi sunt. Ea tamen quando à pruina lædi contingit (siquidẽ læsam in Ægypto, vt in Psalmo 77. legimus, Moysis tẽpore proditur fuisse) Cœli maximam arguit intemperiem, & proinde fructuum, vinearumque interitum declarat. At maius ab vlmo & persico pręsagiũ capimus, quippè vlmi & persici folia, præter tempus decidentia, pestem in omni iumentorum & pecuino genere præsagiunt. ex Cardano.

Fœtorem extinctæ lucernæ vtero gerentibus infestum esse, & inimicum.

ODor extinctæ lucernæ grauis, adeo prægnantibus infestus esse percipitur, vt in abortum quàm faciliter conducat.

cat. Id asseruit Aristot. 8. de hist. animal. c. 24. vbi non modo mulieres grauidas, verum atque equas illius fætore abortire tradidit. Profectò malus odor si prægnãtium corpora ingreditur, quia fætus imbecillis est, & à quolibet alteratur, facili negotio inficitur eius caro tenerrima, & spiritus, inde abortus sequitur, At non semel extinctæ lucernæ fætor perniciem quoque hominibus attulit, vt carbones in cameris testudinatis facere accensi cõsueuerunt. Duos monachos (retulit Petrus Forestus in Obseruat medicin.) cum noctu cellam ceruisiariam intrarent, vt fæcem ebullientem exportarent, (fortè candela extincta) cum exitum non inuenirent, suffocatos fuisse, ac mane mortuos esse inuentos.

Insaniæ, & furori à solano syluatico contractis, Vinum potentissimum singulare esse præsidium.

SOlanum syluaticum, quod à multis Belladonna dicitur, tantæ est immanitatis, vt insaniam, & furorem hominibus eius acinos comedentibus inducat. Accidit cuidam (referente Hieron. Trago lib.

1.histor. ſtirp.)qui in ſylua plantam viderat caſus:hic multos decerpſit acinos, & deuorauit. Altera vero die in tantam inſaniam,& furorem deuenit,vt plerique illum à Dæmone obſeſſum crederent.Intellecto tamen morbo, vinum fortiſſimũ à Trago furioſo propinatum eſt, quo facto conſopitus, paulo poſt conualuit, & abſque læſione vixit.

Lolium tritico,aliiſque cerealibus commiſtum varia hominibus ſymptomata attuliſſe.

PAnis, in quo lolium fuerit, ſtuporem quendam, ac veluti temulentiam eſitantibus parit,cum ſomno inexpugnabili.Id Galenus aſſeruit lib. 1. de Aliment. facult.Etenim (inquit) cum anni conſtitutio praua aliquando fuiſſet,lolium tritico affatim innaſci contingit, quo haud ſeparato quod paucus eſſet tritici prouẽtus, ſtatim quidem multis caput dolere cæpit ineunte æſtate, in cute multorum, qui comederant vlcera,& alia ſymptomata ſunt ſubſequuta,quæ ſuccorum prauitatem indicabant. Lolij tamen nocumẽto acetum eſſe præſentaneum remedium iudi-

iudicatur. Quare tum à tritico, tum ab aliis seminib. cerealibus diligenter lolium separandum eſt.

Scorpioidem herbam Scorpionum ictus feliciter ſanare.

MIrabilis eſt herbæ Scorpioidis in Scorpiones potentia, illi quidem huius tactu, ex occulta diſcordia exanimantur, & intermoriuntur, tantam enim inter eos antipathiam natura indidit. At quod mirabilius eſt, exanimati Scorpiones, ſi Hellebori albi radice tanguntur, ad vitam reuocantur. Propterea Scorpioides, Scorpionum ictibus impoſita feliciter, & citiſſimè illorum virus mortificat, vlcuſque perſanat. ex cuius præſentanea in illos virtute à Scorpione nomen ſumpſit, & Scorpioides dicta eſt.

Mirabiles in hominibus proprietates quandoque adfuiſſe.

ADmiranda profecto in hominibus quandoque viſa ſunt. Regem Pirrhum circumfertur pollicem in dextro pede à natura habuiſſe, cuius tactu lieno-

ſis medebatur:hunc cremari cũm reliquo corpore haud potuiſſe perhibent. De Sãpſone legitur in ſacris Litteris, quod in capillitio mirabilem contineret virtutẽ, qua aduerſis quibuslibet reſiſtere audebat. Veſpaſianum tactu, & ſaliua, & ſine his quandoque non paucis affectibus medicatum eſſe tradunt. Ego equidem idiotam cognoui hominem, qui ſpuitione ſola in os infirmi ranulas perſanabat, & licet primo aſpectu actu Dæmonis id perfeciſſe dubitauerim, quieui tamen, cum ſimpliciter curam agere illum cognouerim.

Dolorem colicum Bubulo ſtercore perſanari.

MAgnam natura Bubulo ſtercori dolorem colicum ſanandi indidit efficaciam, quippè apud multos ſcriptores legi, & à fide dignis aſſeruit audiuiſſe viris Genſerus illius potu complures ruſticos fuiſſe liberatos: qui enim ſtercus aridum in iuſculo bibit, ſtatim ſanatur. Hinc apud multos, mos ortus eſt, vt nonnulli non modo ipſum excremẽtũ aridum, verum atque recens, & expreſſum iuſculis ebibant.

ebibant,& melius habeant. Ego quidem rusticis tantummodo remedium præberem,nobilibus vero, ne nauseam inducerem,non auderem, cum nobiliora pro iis habeamus præsidia:sufficerent talibus ex eodem stercore cataplasmata. vt enim reor,ex proprietate tale auxilium colico vexatis subuenire consueuit.

Epilepsiam,strumasque Verbenæ auxilio euanescere.

NAturalis Magiæ professores , verbenam (Sole Arietem peragrante) collectam , granisque pæoniæ sociatam contritam , & ex vino albo haustam percolato,epilepticos instar miraculi sanare prodidere.Hoc ex Hermete traditur. Nõ minor est eiusdem radicis efficacia, quippe collo eius appensa , qui strumas patitur,mirum,ac insperatum adfert præsidium. Referunt Astrologi hanc Veneri esse dicatam, strumasque delere , quod Veneri ancilletur,quæ collo præest,propter Taurum eius domicilium. Ex Durante in Herb.

Arbores quandoque in lapides commutantur.

IN Danico mari, iuxta Lubicensem vrbem, Alberti Magni ætate, arboris ramus inuentus est cum nido, & pullis, qui cum in lapidem omnes, cum arbore, & nido essent conuersi, purpureum tamen, (vt ipse retulit) adhuc colorem suũ retinebant. Georgius Agricola etiam memoriæ hominum reliquit, in Elbogano tractu, iuxta oppidum à Falconibus cognominatum, Abietes integras cum cortice in lapides versas esse, atque, quod maius est, in rimis etiam pyritidem lapidem continuisse, quod maximæ solertissimæ naturæ operibus tribuendum est.

Bardana maior cum mulieris Vtero magnam habet sympathiam.

MIra est vis Bardanæ maioris, quæ personata dicitur in mulieris vterum, magnaque est cum illo eius sympathia, quippe illius folium summo capite gestatum matricem sursum tollit, sub planta pedis deorsum. Propterea huiusmodi præsidium aduersus matricis suffucationes,

nes, præcipitationes, ac dislocationes præstantissimum à multis iudicatur. Ex Mizaldo.

Quomodo litteras aurei coloris pingere valeamus.

VT litteras aurei coloris habere possimus, auri folia quot libuerit, eligere oportet, quibus mellis tres, vel quatuor guttas miscebimus, hæc insimul conterēda sunt ad vnguenti spissitudinem, in osseoque vasculo conseruanda. Cum autem ad scribendum huiusmodi mistura vti optabimus, aquæ gummatæ aliquid addendum est, vt operi liquor aptior existat: ita profectò litteras habebimus incomparabiles. Ex Alex. Pedemontano.

Quomodo vestigia, & deformitates à variolis, & morbillis homines possint euitare.

NE vestigia aliqua post variolas, aut morbillos in facie, corporeque hominum remaneant, expertissimum apud me, quod in publicam vtilitatem placuit aperire, inest præsidiū: ita profectò pue-

ri, puellæque deformitate, quæ ab iis relinquitur, carebunt. Cum variolæ, siue morbilli maturuerint, & in medio oculi quasi albicantes eminuerint, quod est signum bonæ maturationis, omni die bis oleo amigdalarum dulcium recens expresso pluma leuiter oblinire oportet, donec exsiccentur, ita profectò, vt sæpius experiri libuit, vestigia non remanebunt, & quod melius est, oleum hoc excoriatas variolas mirabiliter ad sanitatem perducit.

Quantum in hominibus vsus venenorum valeat.

MIthridates sæpè veneno epoto, adeo venenorum vsui præsumptis auxiliis corpus disposuit, vt citra offensam venena ebiberet. Cum autem à Pompeo profligatus esset, atque in extrema fortunæ miseria constitutus, è vita illæsus discedere festinaret venenum hausit, & plusquam satis esset, nec tamen emori potuit, cum continuus venenorum vsus in hominum naturam pertranseat. Ex Plinio.

In hominibus vermes figura maximè differunt.

VErmes in hominibus figura inter se admodum sunt differentes, quippè in quodam Antoniano Canonico Montuus obseruauit. Hic colico dolore torquebatur, cuius molestia Hieram picram deuorauit, vermemque deiecit. Erat ille viridis, figura lacerti, sed crassior, hirsutusque, & pedibus quatuor innixus, breui tempore à fera propulsa canonicus obiit: contra illa in vitrea phiala aqua plena, per menses aliquot viua superstitit. Ex eodem Montuo lib. 4. c. 19.

Calculus renum, vesicæque in hominibus, quo pacto consumi valeat.

LApillus, qui in Tauri vesica, mense maio reperitur, magnam habet in consumendo calculo efficaciam. Hic si vino imponitur, mutato paululum sapore, colorem croceum contrahit. De hoc vino quotidie recens effuso, donec lapis vino impositus, omninò consumptus sit, à calculo infirmos bibere oportet. Hac. n. ratione, nō modò calculū comminui, ve-

rum atque consumi multos experienti
edocuit. Ex Quercetano.

Filios à parentibus signum aliquod reci-pere, vulgatissimum est.

FIlij omnes patrium aliquid, aut auit
ad vnguem retinere solent, verrucai
scilicet, vel cicatricem, vel effigiem, vc
mores, aut manuum lineas. In domo nc
stra omnes à parẽtibus verrucam in bra
chio habuimus, & Marcellus filius meu
ex me consimiliter. Proueniunt hæc à se
minũ miscela, spirituumque vtriusq. pa
rentis seminalium, auorumque effusion
Propterea etiam succedit, (si semina i
filiorũ generatione bene miscẽtur, atqu
in minimas partes iunguntur) vt fætu
robusti euadant. Hac enim ratione spu
rij robustiores existunt, quoniam ob
moris vehementiam, vtriusque semin
multum, beneque commiscentur. E
Cardano de Subtil.

Mare rubrum in plantis producendis, ter-ra vigorem obtinuisse videtur.

IN mari rubro arbos nulla in terra prc
uenit, præter spinam, quæ dispas voca
tu

tur. hæc autem rropter feruores, & aquæ penuriam rara etiam eſt, quippe non niſi quarto quintoue anno pluit, & tũc quidem impetuoſe, breuique tempore. At in mari exeunt plantæ, eaſque laurũ, & oleã appellant. Laurus arię ſimilis in toto eſt, olea folio tantùm, fructum proximum his noſtris oliuis parit, & lachrymã emittit, ex qua medici, ſiſtẽdo ſanguini medicamentum componunt. Cum autẽ aquæ plũres inceſſerint, fungi iuxta mare, quodam in loco erumpunt, qui Sole tacti, in lapidem commutantur. Ex Theophr. in 4. de hiſt. plan.

In capillorum defluuio ex Hydrargiro lac epotum peculiare indicatur auxilium.

HYdrargiri ſuffumigium ſæpè aurifabris capillorum defluuium inducere conſueuit, aliaque ſymptomata, quæ tales in mortis pericula conducunt. Pro huius immanitate, vti in potu caprino lacte, illudque cum pane comedere, ſingulare expertum eſt remedium: quippe ſedata illius vi, atque potentia, à veneni morte liberantur ægri, & pili iterum na-

ſ:untur. Ex Foreſto in obſeruat.med.

Inter Lupum, & Agnum maximam eſſe antipathiam.

TAnta eſt inter Lupum, & agnum naturalis diſcordia, vt ipſis emortuis in eorum chordis id etiam eluceſcat. Si enim ex Lupi, Agnique inteſtinis chordæ conficiuntur, in inſtrumentis muſicis applicatas minime concentum voceſque ſonoras reddere, ſed continuo tactas diſſonantias reſpondere obſeruatum eſt: at quod mirabilius eſt, agninas chordas à Lupi funiculis corrodi, confringi, & conſumi, ſi ſimul repoſitæ fuerint, comprobatum eſt. Idem de Aquilæ, & Anſerum plumis circumfertur, Aquilæ enim plumæ naturali antipathia anſerinas poſitæ inter plumas, vt docuit experientia eas conſumit, & corrodit.

Quædam pro Epilepſia admiranda reperiuntur auxilia.

TRia ab Horatio Augenio in ſuis conſult. pro epilepſia curanda magnæ efficaciæ proponuntur remedia. Primo

loco

loco carbo est ille odoratus, qui sub Artemisiæ radicibus æstiuo solstitio colligitur, qui per dies 40. infirmis aliquo conuenienti liquore exhibendus est mane, ieiuno stomacho. Confiteor ego cuidam epileptico huiusmodi remedium admodum profuisse. Secundo loco, Mustelæ sanguis adducitur, hic præstantissimus pro epilepsia sananda censetur, auctoris experimento, vidit enim sanatum epilepticum supra 25. annum, solo huius sanguinis vsu, potati scilicet statim, atque è venis exiit ad vnc. ij. cum vna aceti. Vltimo loco testiculi Apri, aut saltem Verris siue Suis domestici venere vtentis, & testiculi Galli exiccati in furno, mirabiles censentur. hi in puluerem tenuissimè redacti, cum saccaro miscentur, & decem cõtinuis diebus epilepticis ad drach. tres, cum aqua betonicæ felici cum successu exhibentur.

Flatuosam in membris conuulsionem ligno è visco persanari.

COnuulsio illa, quæ à flatu in musculis, & membris oritur cum dolore, (hanc nostri ramphum, siue granphum

vocant) nodis ligneis è visco , quod in quercubus adnascitur, vt experientia cõprobauit, sanari cõsueuit. Colligitur Viscum æstiuo tempore , Sole in leonis sidere commorante, tunc enim perfectionis complementum adeptum est. Debet nodi ligni illius loco patienti superponi, vt statim flatus diffugiat: pingui sicco, tenuique præditum est lignum, aut occulta ratione, vt voluit Cardanus. Confiteor, multis tale præsidium ad præseruationẽ me cõsuluisse, votumque fuisse assequutos sola istius ligni suspensione. Anuli ex bubalorum cornibus, huiusmodi etiam dolores prohibere multa experientia, ex eodem Cardano iudicati sunt.

Quomodo nonnullorum animalium venenum corpora nostra ingrediatur.

PHalangium cum aliquem momordit, quamuis paruum existat animal, existimare tamen debemus, venenũ ex ipsius ore, primo quidem in superficiem , deinde vero in totum corpus deferri. Præterea marinæ turturis , sicuti, & terreni scorpionis aculeus , quamuis in extremã illam acutissimamque partem finiatur, *vbi*

bi nullum foramen eſt, per quod venenũ deiici poſſit, neceſſe tamen eſt, vt excogitemus ſubſtantiam quandam ineſſe illi, aut ſpiritalem, aut fluidam, quæ vt mole minima, ita facultate eſt quàm maxima. Siquidem cum nuper fuiſſet quidam ictus Scorpione, videor mihi eſſe (inquit) percuſſus grandine: eratque omnino frigidus, frigidoque ſudore perfuſus. Quippe vbi ex icta parte per totam ipſam celeriter diſtributa fuerit veneni vis, contingit eam eodem rurſus contactu in ſingulas ſubiectarum ei partium recipi, mox ex illis in alias continuas, donec in aliquam peruenerit principem: quo tempore mortis periculum inſtat. Ad hanc rem in primis conferunt vincula partibus ſupernis iniecta, abſciſſioque partium venenatarum. Noui equidem ruſticum, qui epoto è viperis medicamento, reſciſſo prius digito euaſit, ſicut, & alium quendam qui ſola ſectione citra medicamen eſt liberatus. Hæc Gal. 3. de loc. aff.

Mirabile ad Strumas, gutturis ramicem, & œdemata remedium.

ADmirandum remedium ad ſtrumas. Cupreſſi folia neque teneriora, ne-

que duriora in puluerem comminues, tortiuo vino conſperges, atque ita volutabis, dum in fæces corpus coeant, inde ſtruma, vel ramex inducitur, tertio primũ die ſoluitur medicamentum, contractum locum inuenies, qui digitis exprimi debet: rurſus ad tres dies idem pharmacum applicabis, eodemque modo ſolues & exprimes, ſeptimo die, vel ad ſummum nono, ſtrumæ velut miraculo abolebuntur. Valet etiam ad ramicem gutturis, parotidas, omnem duritiem, & œdemata. Hæc Hollerius. 1. Inſtit. Chirurg. c. 2.

Peſtilenti tempore inter præcipua præſidia, aëris rectificatio ſummum iudicatur.

OMni laude dignus, omnique decore admirandus Hippocrates iudicandus eſt, qui peſtem illam ex Æthiopia ad Græciam venientem, non alio repulit auxilio, quam aëris purificatione. Præcepit enim, vt per totam ciuitatem ignes accẽderentur, qui non è ſimplici ſolum materia, ſed etiam bene olenti conſtarẽt. Quapropter, & coronas odoriferas, floreſque, aromata, vnguenta pinguiſſima grati odoris, & alia iucundos odores ſpirantia,

ciues

ciues igni ſpargebant, quo pacto aer purus factus eſt, & ij à peſte tuti fuerunt. Ea fuit magni Hippocratis diligentia. Ex Galeno.

Portulacæ ſeminis contra lumbricos magna eſt efficacia.

IN lumbricis necandis nō modo Portulacæ aqua ſtillatitia aptiſſima iudicatur, verum atque illius ſemen. Narrat enim Arnaldus Villanoua, quendā puerum, dum eſſet in mortis periculo conſtitutus propter lumbricorum multitudinem, drach. ſem. ſeminis Portulacæ cum lacte ſumpſiſſe, atque lumbricos multos emiſiſſe, fuiſſeque liberatum.

Quorundam animalium vitæ terminus conſtitutus quis ſit.

LEpus annis decem viuere fertur, & Catus totidem. Capra octo. Aſinus triginta. Ouis decem: ſed vir gregis ſæpè quindecim. Canis quatuordecim, & quādoque viginti. Taurus quindecim. Bos, quia caſtratus, viginti. Sus, & pauo viginti quinque. Equus viginti, & nonnunquam

triginta inuenti ſunt, qui ad quinquageſimum peruenerint. Columbi octo, vti etiã Turtures. Perdix viginti quinque, vt & Palumbus, qui nonnunquam ad quadrageſimum peruenit. Ex Alberto.

Ad dolores articulares electuarium mirabile.

APeriam electuarium illud mirabile, quo ego in doloribus iuncturarum, & in arthritide cum felici ſucceſſu non ſemel vſus ſum. Huius auctor Petrus Bayrus eſt, licet ipſe Galeni compoſitionem eſſe dicat in lib. 18. ſuæ Practi. Confiteor ſubito ſoluere ſine moleſtia, ignitum calorem extinguere, & membra patientis adeo contemperare, vt multos viderim, eadem die, qua pharmacum acceperant, à ſella ad locum proprium ſine alterius auxilio languentes redire. Capiuntur Hermodactylorum alborum à cortice ſuperiori mundatorum, & Diagridij an. drach. ij. coſti, cymini, zinziberis, cariophyllorũ an. drac. j. trita, & cribellata conficiantur cum ſyrupo facto ex melle, & vino albo inuicem coctis, donec ſyrupi bene cocti formam recipiant. Doſis eſt à drach. ij ad

drac.

drac.iiij. ſecundum infirmi tolerantiam. Auctor confitetur ter ab huiuſmodi doloribus fuiſſe correptum,& ſemper in aurora huius electuarij (quem Diacoſtum vocat) vnc.ſem. accepiſſe , & in vna die conualuiſſe. Ego diagridium in minori doſi exhibui ſemper,& bene ſucceſſit.

Periculoſum eſt,baſilicum continuò odorare.

QVam ſit periculi herbæ Baſilicæ frequens odoratus plenus, ex Hollerij exacta obſeruatione perſpicitur. Quidam enim Italus ex continuo eius odoratu in vehementes & longos incidit dolores capitis ex Scorpione in cerebro enato , cuius cauſa mors conſequuta eſt. Ratio apud aliquot huius euentus ea potiſſima eſt,quod Baſilici folia ſub teſta fictili putrefacta in Scorpiones mutentur,ex quo arguunt, frequentem odoratum animalcula quædam Scorpionum inſtar,in cerebro generare. Vtcumque tamen ſit,Baſilici odoratus ad Syncopem & animi hominum deliquia mirum in modum prodeſſe à medicis adhibitus videtur.

Piſcem Torpedinem dolores capitis à cauſa calida feliciter ſanare.

INter ſelecta, & quæ dolores capitis à cauſa calida auferunt remedia, Torpedo piſcis eſt. Ait enim Celſus, quem ſequutus eſt Scribonius Largus, huius piſcis capiti affricatu, adeo tales dolores remouere, vt in poſterum redire nequeant. Cauſa omnium Torpedinis qualitas eſt, ipſa enim viua in mari, & procul, & à longinquo, vel ſi haſta virgaue attingatur, torporem piſcatoris membris inducere dicitur, vt Plinius lib. 23. prodidit. Idcirco (vt Matthiolus dixit) mirum non eſt huiuſmodi affectus quodam ſtupore feliciter ſola confricatione ſanari.

Quæ ex occulta naturæ proprietate fiunt, mirabilia videri.

NAturæ arcana ſemper hominibus admirationem præſtitere: ratio eſt, quia cauſas ignoramus proprias, & propterea in ſpeculandis his ceſpitamus, nec aliud nobis reſtat quam ſola admiratio. Quis enim non admiratur, cur Hyenæ vmbræ contactu, canes obmuteſcant? Cur

Cur Eryngium ore Capræ ſumptum totum gregem ſiſtat? Cur Gallinæ appenſo milui capite nunquam quieſcere valeant? Cur appenſo allij ſilueſtris capite in ouis collo quæ in grege omnes antecedat, Lupi ouibus nocere nequeant? Profectò hæc mirabilia ſunt, & in rerum ſympathias, & antipathias, & naturæ arcana reducuntur.

Nonnulla animalia reiuueneſcere proditur.

MAgnum natura quibuſdam animalibus pro ſenectute euitanda conceſſit releuamen. Ceruus enim eſu ſerpentum renouari dicitur, quippè dum ſentit ſenectute ſe grauari, ſpiritu per nares è cauernis ſerpentes extrahit, ſuperataque veneni pernicie, illorum pabulo reparatur. Colubri quoque alijque ſerpentes quoniam per hyberna latebra viſum obſcurari ſentiunt, primo vere, maratro, ſeu feniculo ſeſe affricant, illudque comedunt, ita viſum recuperant, & exacuunt, & vetuſta tunica depoſita pelleque priori reiuueneſcere dicuntur.

Quorundam animalium carnes ad vitæ longitudinem valere.

A Longissima vita aliquorum animalium, vel eorum proprietate, multi sapientes vitæ longitudinem in hominibus inuenire conati sunt, volunt enim carnium esu longæ vitæ animalium, vitam posse produci, recte consulentes solidum nutrimentum, multum, diúque nutrire & à morbis defendere. Hac ratione Cerui carnes, præcipuę iuuenis, ad longitudinem vitæ valere autumant. Retulit Plinius quasdam nouisse principes fœminas, omnibus diebus Cerui carnes depastas, & longo æuo febribus caruisse. Dioscorides lib. 2. lōgam senectutem eos agere dixit, qui Viperæ carnibus vescuntur. Propterea Plinius lib. 13. Antonium Musam Cæsaris Augusti medicum dicebat, Viperas in cibis iis dedisse qui ab vlceribus incurabilibus affligebantur, ratus hoc auxilium vitam illis producere, atque omnes sanasse. Ex lib. 3. Conuiui nostri litterarij.

Absur

Absurdam, & ridiculam esse Paracelsi opinionem, de homunculi in phiala vitrea generatione, & partu.

NOn modò ridicula, ſed infanda eſt Paracelſi damnatæ memoriæ opinio, de homunculi conceptione, & partu. Scripſit enim ex ſemine humano in ampulla vitrea coniecto, & aliquandiu ſub equino fimo ſtabulato, homunculum generari. Vt autem hāc hypotheſim falſam ille impius doceret, ex ouo ſumpſit coniecturam, quod cum obſeruaret in loco calido concludi poſſe, & ex eo tandem pullum excludi, perſuaſit hoc idē in humano ſemine in vitreo vaſculo recluſo poſſe contingere. Sed vana, & fabuloſa ſunt eius figmenta, ſiquidem ex putrefacto ſemine in ampulla ſub fimo recondito talis homunculi partus fieri nequit. qualis enim eſt cauſa, talis effectus conſequitur, proinde ex putrefacto nihil, niſi corruptum oritur. Inſuper in fœtus conceptu, vt ex ſacris diuini verbi decretis capitur, ſemen vtrumque viri & mulieris concurrere opus eſt: præter hæc cōceptio haud oritur niſi fuerit vterus bene tem-

peratus, tanquam hortulus à Deo desti-
natus ad hanc prolem, cui sanguis ma-
ternus simul affluat: quippe si materni
sanguinis deficeret appulsus, nec semen
augeri, nec ali, plantæ instar, nec partes
conformari possent, vt omnium philoso-
phorum consensus est. Ad hæc inter fœ-
tum & vtero gerentem sympathia quæ-
dam requiritur, vt calorem, & nutrimen-
tum à matre recipiat, & à fœtu viuente
matris calor augeatur, & alia ad conco-
ctionem, & productionem feliciter suc-
cedant. Quæ omnia falsam esse Paracel-
si coniecturam arguunt: ille enim non
perspexit in ouo semen ex quo pullus
fit, simul cum alimento vernaculo con-
ferre, & in testa per se porracea tanquam
in vtero quidem concludi ex qua pullus
ali, & respirare posset. Semen verò hu-
manum caloris, & spiritus cuiusdam vi-
uifici particeps, & consors, quorum vi &
beneficio fit generatio antequam in vi-
tream ampullam perfunderetur, eodem
temporis vestigio exhalaret, & conceptio
euanesceret. Huc accedit quod deest san-
guis, quo semen nutritur & augetur. Ad-
de quod per ampullam vitream sub fimo
reconditam fœtus spirare nequiret. con-

futata

futata ergo ſunt Paracelſiſtarum ſomnia, & fabuloſa eorum magiſtri coniectura,& vana de homunculi partu aſſertio. Ex Georgio Bertino Campano.

In Armenia niues rubentes fieri.

NIues omnes (ſublata philoſophantium ratione) albæ ſunt, & ita iudicat ſenſus, vt non immeritò Plinius lib. 17.cap. 2. niuem vocauerit cœleſtium aquarum ſpumã. Nihilominus Euſtathius Homeri interpres, in Armenia niues rubentes conſpici retulit. Harum colorem multi ſapientes ruminantes, non naturâ niues rubentes fieri,ſed accidentaliter illic voluere. Illa enim loca minio luxuriant,cuius colore exhalationes,è quibus in Armenia niues generantur, pollutæ, rubedinem acquirunt.

Pro quartana febre ſelecta remedia.

ARnaldus Villanoua pro ſecreto habuit in febre quartana exhibere taxi barbati radicem ex vino per duas horas ante acceſſionẽ,& non minus os de corde Cerui ad drach. Itidem ex vino alte-

rato dictamo cretico , saluia, chamedrio, chamepithio ,& myrrha ex succo absynthii ad scrup. ij. castorei etiam, & bituminis an. scrup. ij ex vino. Alij vt quartanã excutiãt, infirmis, dum in accessione affligũtur , timorem ex improuiso incutiunt. Propterea Titus Liuius scripsit , Quinctum Fabium Maximum in conflictu febre quartana fuisse liberatum.

Terra lemnia contra venena miram habet efficaciam.

INter præstantissima auxilia cõtra venena, terra lẽnia connumeratur, quæ ad Cantharides, & ad lepus marinum adeò præstat, vt quadam proprietate deuorata, omne venenum per vomitum expellat, quemadmodum multis experimentis hæc omnia didicisse Galenus confitetur.

Lumaca lapidem partum mulierum facilitare.

DIcitur Lumaca, lapidem nobilissimæ virtutis in capite retinere, quem si contritum strangurioſis liquore aliquo conuenien

uenienti dederis vrinam ſoluere, breuiterque ſanare comprobatum eſt. At mirabilem habet in grauida muliere cõſenſum: quippe ſuſpenſam ſi ſecum portauerit, in abortum minimè incidet, ſin autem tẽpore partus tritam cum vino capiet, multa facilitate pariet: ſiquidẽ lapides hi meatus mirè aperiũt, è quibus fœtui facilior datur tranſitus. Ex Iſidoro.

Rerum ſympathiam in aliquot brutis mirabilem eſſe.

MIzaldus lib. 1. arcan. & Bodinus lib 3. theat. nat. obſeruatum expertumque audiuiſſe aiunt, Vaccam, Ouem, Equam, Aſellam, Canem, Suem, Felé, ſimiliaque fœminei generis animalia domeſtica, & manſueta, dum vtero gerunt, aut interire, aut abortum parere: ſi mas, ex quo conceperunt, mactetur, aut occidatur, tã valida eſt ac vehemens illorum inter ſe ſympathia. Hoc autem an verum ſit, confiteor, me nondum fuiſſe expertum.

Oleam arborem puritatis, & virginitatis eſſe amantiſſimam.

OLiua ſi manu virginea plantatur, & educatur, vberiores fructus præbere

dicitur, vſque adeo puritatis eſt amantiſſima, & labis neſcia. Hac de cauſa, vt reor, ab antiquis ſapientibus olea Mineruæ dicata, & conſecrata fuit. Audiui equidē à multis, olearum à laſciuis mulieribus non ſemel fuiſſe collectos fructus, eaſque perinde ſequenti anno parum fructificaſſe. Ex Carolo Stephano in lib. de re ruſtic.

Aſtronomiam Medicis eſſe neceſſariam.

PRudens Phyſicus Aſtronomiam intelligere debet, aliter perfectus Medicus eſſe nequiret. Cum autem ægros curare intendet, Lunam aſpicere oportebit, ſi enim plena eſt, creſcit ſanguis, & humiditas in homine, & beſtiis, & medulla in plantis, ita voluit Hippocr. in lib. de diſciplina Mathemat. qui apud Gal. reperitur. Cum ergo quis in morbum inciderit, ſi Luna è combuſtione exit, tunc ei creſcit infirmitas vſque ad oppoſitionis gradum, quo tempore peracto cœli themate aſpicienda Luna eſt, an cum aliquo Planetarum ſocietur fortunato, vel infortunato, num in malo, vel bono fuerit aſpectu, & an dominum domus mortis aſpexerit, ita

enim de morte,& vita,de morbi longitudine,& breuitate infirmorum accuratius coniecturare poterit. Ex Hippocr. & Ioan. Ganiueto.

Saturni, Martiſque coniunctionem in Tauro, Bobus peſtilentiam prædicere futuram.

ASTrologorum ex multa obſeruantia decretum eſt,cum Saturnus, Iuppiter & Mars, vel iſtorum duo ſimul iuncti fuerint, ſub humano ſigno, concurrenti ad eam ſtellarum fixarum venenoſorum animalium aſpectu,morbos peſtilentes hominibus eſſe futuros. Ex diuerſitate autem Zodiaci brutis quandoque contagium appariturum, ſaluis hominibus. Vnde notat Auguſtinus Sueſſanus in comment. Apotelesmatum Ptolomei, non multis ante annis, obſeruaſſe, cum Saturni,Martiſque coniunctio in Tauro horrendiſſima frigora excitaſſet,magnam Bobus calamitatem eueniſſe. Oues autem,licèt imbecilliores,ſuperſtites tamen fuere. In Boues tamen peſtis illa deſæuit propter cœleſte ſignum, ad quod terreſtris Bos refertur. Quæ ſi fuiſſet in Ariete,

forsitan in Oues grassata esset. Anno 1479. in signo humano Martis, & Saturni fuit coniunctio (testimonio Ficini) & pestis crudelissima hominibus tantum successit, vt & prius fuerat anno 1408. & omnium pessima anno 1345. ex trium Planetarum insimul coniunctione.

Suffitu bituminis mulieres ab hysterica passione liberari.

MVltis experimentis comprobatum audio, bituminis suffitu, mulieres ab vtero suffocatas, subitò ad sanitatem reuocari: & quod mirabilius est, hystericam extemplo, bituminis accessionem corrigere, siue crudum, siue vstum mulierum naribus admoueatur. Propterea mulieres, quæ tali passioni obnoxiæ sunt, lana exceptum, siue gossipio collo appẽsum, Medicorum consilio (Mizaldo auctore) in nonnullis locis habent, vt crebro olfactu paroxismum arceant.

Cantharides quandoque solo olfactu, sanguinem, vel tactu è corpore euacuasse.

CAntharidum vis, & venenum in sanguine purgando per vrinam, apud

paucos

paucos incognitum est, quippe in potu exceptas non modò vesicam exulcerare, verum atque suffocationes, & horrenda symptomata inducere comprobatũ est. Imo tantæ feritatis sunt, vt quandoque & tactu vel olfactu hæc efficiant, vt cuidam chirurgo Mediolani successit, qui bis sanguinis profluuio correptus fuit per vrinam, solum portando cauterium ex cantharidibus in Byrsa. Ex Michaele Pascalio.

Vnde ortum sit adagium, Nauiget Anticyras.

MVlta obseruatione & à prioribus, & neotericis Medicis, nigrum helleborum ad insanos, & mente captos peculiare auxilium esse probatum est. Huius potio licet periculosa medicina sit, cum cautela tamen sumpta, mirabiliter iis prodesse videtur. Hellebori virtutẽ Demosthenes innuere volebat dum in actione monens Æschinem, vt sese purgaret helleboro dicebat. Hoc in Anticyris duabus electissimum, & magni valoris nascitur; quò nauigare oportere adagiũ, qui ab insania sanari cupit (vt Strabo lib. 9. Geograph.)

loquitur. Hinc Stephanus de Helleboro loquens addit, Anticyrensem quempiam fuisse, qui Herculem dato Helleboro insania liberauerit.

Grauidas nimio sale vtentes, parere fœtus sine vnguibus.

NOn est à ratione alienum, quod ab Aristot. dicitur 7. de Histor. animal. c. 4. mulieres grauidas, si nimio sale in cibis vsæ fuerint, fœtus parere sine vnguibus. Vngues enim, vt dixit Hippocr. in lib. de carnibus, ex glutinosa & viscida materia generantur, hinc accedente salitorũ vsu, materia illa viscida adeo attenuatur & adimitur, vt facilè illorum ortus deficiat. Comprobatur hoc etiam in lactantibus, quibus ex assiduo & nimio salitorum vsu, lac omne paulatim deficere consueuit.

Qui ludi in conuiuiis iucundi, festiuique habeantur.

IN conuiuiis profecto, vt hilariter, iucundeque accepti conuiuæ consideãt, & epulentur, non semel ludi aliquot per iocum

iocum apparantur, qui omnes in aſtantium riſus, & cachinnos mutantur. Inter multos hi erunt feſtiui. Si lintea, & mappæ calchanti puluere confricantur, qui loti ſe deterſerint ea parte nigri fient, licet lintea prius candidiſſima apparuerint. Si gladij ſucco colocynthidis, vel aloe tacti fuerint, amara omnia ex iis inciſa ſentientur: ex aſſa fœtida autem cuncta fœtida audientur. Si ſuper paſtillos nuper elixos inſtrumentorum chordas minutim inciſas proieceris, inſtar vermiũ à calore contractæ apparebunt, nauſeãque rei inſciis mouebunt. Quibus vinum potui dabitur, cui caſtanearum animæ ſubtiliter tritæ fuerint proiectæ, à ventris crepitibus ſollicitabuntur.

De amoris origine aliquot controuerſiæ.

VOlentes Phyſici amoris originem, vel potius furoris amatorij reperire indaginem, ex correſpondenti hominum complexione, ſeu verius, ex conformi ipſis ſanguinis qualitate, nempe calida, proficiſci volunt, hanc enim complexionem valde amorem gignere affirmarunt. Aſtrologi inter eos amorem exiſtere a-

iunt, qui in eodem astrorum gradu consistunt, vel qui in aliqua constellatione ex æquo participant, & conformes sunt, tũc enim se redamare confingunt. Alij Philosophi amorem nasci asseruerunt, quoties nostra lumina in desideratum obiectum coniicimus. volunt enim quosdam spiritus ex subtilissimo, purissimóque sanguine cordis nostri in rem concupitã exhalare, atque ocyssimè ad oculos nostros recurrere, ibique in vapores, & humores resolui, qui sensim ad cor relapsi, diffusique per corpus, in oculis rei dilectæ quandam Ideam, instar simulachri & imaginis non aliter quàm in speculo macula permanet veneno si oculi, vel menstruatæ, auriginosi, aut simili aliquo morbo infecti, imprimunt. Hac de causa miserum amasium, hisce nouis illectum spiritibus, qui naturalem suam sedem repetunt, & ad cor permeant, perditam libertatem suam dolere, lamentarique cogi affirmare non cessant. Nonnulli autẽ naturæ scientiæ admodum studiosi, cum multa de amoris scaturigine essent imaginati, nec veram tam furiosi morbi originem inuenissent, in hæc proruperunt, Amorem esse nescio quid, natum nescio vnde,

vnde,qui venit nescio quomodo, & accēdit nescio quo pacto, certam aliquam rem,& personam.

Hominem apud Indos longissimam vitam habuisse.

APud Lusitanicæ historiæ recentiores scriptores (inter quos est Ferdin. Castanneda) fidei probatissimæ, longa narratione & certa, cuidam nobili apud Indos annorum,quibus vixit, trecentorum & quadraginta spatio, iuuentæ florem ter exaruisse, & ter refloruisse inuenimus,atque ex cuiusdam Episcopi relatu nouiter percurrimus. Hoc profecto mirabile est, & paucissimis à Deo concessum.At non minori admiratione illud dignum est,quod à Langio de Orbe nouo proditur, insulam quandam fuisse repertam,Bonicam nomine, in qua fontis reperiatur scaturigo,cuius aqua vino preciosior, senium epota in iuuentutem commutet.Ex lib.1. de hominis vita vbi de Priorissa anu facta, & reiuuenescente scribitur.

Hydrargiri minera quomodo inueniatur.

INter metallica omnia, hydrargiro excellentius vix inueniri aliud creditur, cum ad infinita tale accommodetur. Solerti industria opus est, vt vbi eius mineræ sit scaturigo coniectores deprehendant: propterea mensibus Aprilis, & Maij sub aurora sereno autem cœlo ascendentes vapores in montibus spectant: si enim instar nebulæ fuerint, non altius se attollentis, sed humillimæ, ac quasi terræ hærentis, argenti viui ibi sedem esse assequuntur. Ex Cardano de Subtil.

Aqua mirabilis pro visus obscuritate.

APeriam aquam, quam scribunt restituisse visum cæco nouẽ annorũ, Recipe succi apij, fœniculi, verbenæ, chamedryos, pimpinellæ, Garyophilatæ, saluiæ, chelidoniæ, rutæ, centinodiæ, morsus gallinæ, garyophyllorum, farinæ volatilis an. vnc. j. piperis crassiusculè triti, nucis muschatæ, ligni aloes an. drâch. iij. Omnia immergantur in vrina pueri, & sexta parte vini maluatici. Bulliant

breui

breui tempore,tum exprime & percola. Repone vaſe vitreo bene obturato. Hora ſomni ſingulas guttas, ſingulis oculis inſtilla. Hollerius.

Roris marini præſtantiſſimæ virtutes.

PLāta illa,quam Romani & Itali Roſmarinum dicunt, inter plantas nobiliſſima eſt, magiſque quàm exiſtimetur excellens, quamuis multitudine & frequentia vileſcat. Eſt enim ſemper virens, nulli nocens,& multis infirmitatibus inimica, maximè comitiali morbo qui ferè dæmoniacus eſt. Radix eius cum melle purgat vlcera, torminibus medetur, & ſerpentum ictibus cum vino bibitur. Prodeſt etiam contra morbum Regium in vino cum pipere. Et tanto in maiora mala præualet, quanto maiori gaudet tutela, & fauore cœleſti à quo omnis virtus confouetur.

Naturæ ſagacitas in difficillimis morbis ſanandis magna eſt.

MAgna eſt naturæ ſagacitas in aliquot morbis ſanandis, qui medicorum au-

xiliis perdifficile est vt ad sanitatem perducantur. Retulit Alexander Veronensis lib. 2. anatom. c. 9. mulierem Venetam, acum crinalem qua cirri capillorum intorquentur, quatuor digitorum longitudine ore detinuisse, dum obdormisceret somnoque sopitam deglutiuisse: decimo autem mense, quod mirabile est, per vrinam eminxisse. Langius etiam in alia iuuencula, quæ aciculam deuorauerat, id etiam euenisse scribit. Naturæ igitur industria maxima est.

Lapidis compositio ignem fricatione reddentis.

FRicatione cuiusdam lapidis facillimè ignem excutere poterimus. Hæc eius est compositio. Capimus styracis calamitæ, sulphuris, calcis viuæ, picis an. drach. iij. Camphoræ drach. j. Aspalti drach. iij. trita hæc ponantur in vase terreo optimè clauso ad ignem, donec in lapidem conuertantur. Hic panno fricatus accenditur, sputo verò emoritur. Ex Rossello.

Naturam bestiis ad corporis tutelam multa remedia indicasse.

Plu-

PLurima sunt naturæ beneficia quæ bestiis fuisse concessa legimus. Hæc profectò ruminans Plutarchus, præ admiratione in extasin raptus, Naturã multò plura in pecudes quàm in hominem contulisse dixit. Quippe si bestiis morbus accidit Natura mox antidotum indicauit. Hinc Palumbes, monedulæ, merulæ, perdices (Lauri foliis degustatis) humores superfluos expurgant. Lupi, Canes, Feles si ægrotant, vel si excrementorum colluuie stomachum vel viscera oppleta sentiunt, gramina comedunt rore perfusa, herbam frumenti, & rapistrum decerpũt: quibus stomachum, aluumque exonerant. Columbæ, turtures, pullíque gallinacei in morbis helioselinum degustant. Testudines morsus sibi inflictos cicuta persanant. Cerui vulnerati dictami pastu sagittas excutiunt. Mustela dum mures venatur, ruta se munire consueuit, vt validius eos oppugnet. Vrsi mandragoram quærunt in mala valetudine. Apri autem ægrotantes hedera se colligunt. Cætera verò animalia pro vitæ tutela diuersa alia retinent auxilia. Ex Aristot. Plinio, Nipho, & aliis.

Lapidem Aetitem mulierum partus accelerare.

MAgnam intulit natura Ætiti lapidi in partu prægnantium accelerando efficaciam: quippe si earum coxis argento conuolutus partu instante fuerit ligatus, miram vtero generabit laxitatem, ex qua prægnantes faciliùs parient. Ab Aquilis præsidium hoc captum reor. illę enim dũ arctiores se sentiunt, & oua cum difficultate pariunt, Ætitem quęrunt, ex quo laxiori matricis orificio facto, lenius oua excernunt. Hinc Ætites lapis, Aquilinus dictus est, quia Aquilę hos in nidum portant, ibique veri reperiuntur. Intellexi ex fœminis primarias aliquot hos lapides in vsu & precio habere, bene ratas partus labores subleuare.

Hellebori nigri radicem, Viperæ morsus in bestiis sanare.

IN magna æstimatione apud multos Hellebori nigri radix habetur, ipsa enim inter carnem & pellem iumenti à Vipera demorsi inserta procul dubio sanat. Confiteor profectò subulcum quendam

dam porcorum numerum igne persico siue erysipelate pestilenti pollutum (hunc morbum vulgares, eo quòd porcorum caput in excrescentiam magnam deuenit, appellant Capoatto) sola huius radice omnes incolumes seruasse. In porcorum auribus cultello circulum ad viuum sanguinem formabat, deinde cẽtro stilo ferreo perforato radicis frustulũ effingebat, ad pastumque porcos mittebat, ita equidem solo hoc auxilio omnes (me obseruante) ad sanitatem ducti sunt.

Hippiatros in equorum facie pilorum euulsu stellas albas facere.

IN hominum canitie frequentes capillorum euulsiones, vt nonnulli in vsu habent, vituperantur, eò quòd illorum euulsu maior generatur canities: Hippiatri enim cum stellas albas in equorum facie fingere intendunt, frequentissimè pilos extirpant, qua continuata euulsione, pilos excrescere albos expertum est.

Quæ apud Veteres magis erant celebrata ſpectacula.

INter orbis terræ celebrata ſpectacula, in primis erat Epheſiæ templum, inde Mauſolæum, hoc eſt, Mauſoli ſepulchrũ, Coloſſus ſolis apud Rhodios: Iouis Olympici ſimulachrum, quod Phidias fecit ex ebore: Muri Babylonis, quos exſtruxit Regina Semiramis: Pyramides in Ægypto: Obeliſcus in via nobiliſſima Babylone à Regina ſupradicta erectus. Rodiginus.

Marinum Vitulum à cœli fulmine non moleſtari.

NOn pauci ſunt ſcriptores qui Marinum Vitulum, (multa obſeruatione peracta) à fulmine incolumem eſſe perhibent. Propterea Seuerum Imperatorem Lecticam ſuam Vituli marini corio contegi voluiſſe legimus; hoc enim animal ex marinis à cœli fulmine minimè percuti audiuerat. Inde factum eſt, vt veteres, pauidi ne fulmine ferirentur, tabernacula ex iſtius pellibus contecta retinerent, ita profectò à Cœli fulmine præſeruari poſſe putabant. Ex Plin.

Capram inter bruta maximè Epilepsia tentari.

HIppocrates in lib. de ſacro morbo, (ſi liber ille genuinus eius eſt) vt ab epilepſia homines præſeruari valerent, Neque in caprina pelle decumbendum eſſe, neque eandem geſtare oportere, cõſuluit: bene ratus tale animal maximè ab Epilepſia tentari. Hoc etiam Plutarchus rerũ naturalium perſcrutator indefeſſus aſſeruit: propterea veteres ſacerdotes ab eius carne vehementer vt morbida abſtinuiſſe fertur, ne guſtantibus aut tangentibus modo aliquid eius morbi induceretur.

Vinum in Aſthmatis cura ſelectiſſimum.

VInum pro ſanãdo Aſthmate ab Horatio Augenio viro probatiſſimo, quo pater eius cum fœlici ſemper ſucceſſu vſus eſt, adducitur. Habet vini dulcis, quale potiſſimùm Vernãcia eſt, nõ craſſi, ſed tenuis, mellicrati cocti an. lib. decem: puluer. Foliorum Tabbachi exicc. in vmbra vnc. j. ſemis, radicũ polipodij querci ni recentis, ac minutiſſimè conciſi vnc. ʒ. radicũ helenij remoto meditullio, & inciſarum vnc. iiij, macerentur horis 48. po-

stea verò colentur per manicam Hippo-
cratis vocatam, conseruetur in loco frigi-
do. Dantur vnc. vj. pro vice, singulis die-
bus, horis ante prandium quinque.

Homines à phrenitide correptos sanis fortiores fieri.

NOn pauci admirantur, cur homines phrenetici (licèt in sanitate debiles fuerint piius) ipsis sanis fortiores euadát? Equidem à morbi natura totum procedere verendum non est: cum autem in phrenitide magis ob exsiccationem lædantur nerui sensitiui, quàm motiui, nulli dubium est, tales quo ad motum ipsis sanis fortiores, & debiliores quo ad virtutē sensitiuam fieri: ratio omnium est, quia operationes neruorum sensitiuorum humiditate magis perficiuntur: secus motiui. Huic adiūgitur, quod phrenetici (mēte læsa) dolorem non sentiunt, idcirco fortiores. Ex Arculano.

Tuberum esu frequenti, homines in epilepsiam incidere.

MAximopere (vt voluit Simeon Ze-thus) tuberum continuatus vsus

t

tuperatur: adeò enim homines cerebro corum esu afficiuntur, vt epileptici, vel apoplectici fiant. Apud veteres autem in pretio habebantur, illisque cum cœlo quandam affinitatem esse, nec nisi tonante Ioue nasci, credidit antiquitas. Vnde Iuuenalis, Facient optata tonitrua cœnas.

Ossa de corde Cerui à morsibus venenosis homines præseruare.

MIrabilis est profectò ossiculorum proprietas, quæ in Ceruorum corde reperiuntur: gestata enim, ad præseruandum à bestiarum venenosarum morsibus, & ictibus maximè prosunt. In officinis tanquam præstantissimum antidotum contra venenum & febres pestilentes, hæc ossa conseruantur, & cum fœlici successu medici indies ad hæc valere experiuntur: multi tamen balatrones pro osse cordis ceruini, os bubulum tradunt, in magnam languentium perniciem, & medicorum infamiam. Ex Alexandro Benedicto.

Hemicraniam lapide Gagatis summoueri.

MVlto experimento Democritus Hemicraniã, lapidis Gagatis sola ad collum appensione tolli comprobauit. scribit enim huiusmodi lapidem gestatum semper magis ponderare, quàm antequã appendatur: quasi in eo, quædam attrahendi in sese humorem, à quo dolor in parte cranij suscitatur, proprietas reperiatur. Mercur.

Epilepticos non perpetuò concidere, neque spumam facere.

QVi comitiali morbo laborant, nisi in magna ventriculorum cerebri à crassis humoribus obstructione concidere, & spumam ferre consueuerunt: secus verò in aliis causis, vt in quadam puella Aretina Beniuenius obseruauit. Incidit illa in Epilepsiam, tamen neque concidebat, neque ex ore spumam ferebat. Sed stans caput hinc inde cum ceruice, ac si quid inspicere vellet mouebat: nihil interim loquẽs, nihil audiens, nihil sentiẽs. Cum autẽ ad se reuerteretur, interrogata quid egisset, penitus ignorabat. Causã Beniuenius existimauit, quòd nõ caderet, quod contractio & tensio ad cerebrum

non ferretur, cum solus vapor sursum ascēderet: ex quo nullo rigore cerebrum ipsum intentum, ab ordinatis motibus reliqua membra præseruare potuit.

Vermes rubeos in hominum cerebro, in quadam epidemia natos esse.

BEniuentis, cum multi ignoto morbo decederent è vita, medici tandem, hoc morbo quendam mortuum incidere voluerunt, & in huius cerebro vermem rubeum breuem inuenerunt, quem cum multis medicamentis vermes occidendi vim habentibus interficere nequiuissent, frusta raphani incisa in vino maluatico vltimò ebullierunt, quo vermis occisus est, atque hoc eodem remedio deinde simili morbo, quasi epidemico affecti, omnes curabantur. Forestus ex lib. Cornelij Roterodam.

Capillorum defluuium ex ladano curari.

NOn semel morbo acuto ægrotantibus (si ad sanitatem reducuntur) è capite capillos decidere expertum est. His facillimè succurritur huiusmodi lini-

mento, quo capillorum defluuium non solum amouetur: verum atque amissi iterum renouantur. Ladanum cum vino, & oleo rosato ad decentem vnguenti spissitudinem coquitur, quo caput vniuersum linitur, breuique capillatum redditur. Ex Bayro.

Ab empiricis tractata remedia mortem non paucis attulisse.

MIrum haud est, remedia, quæ ab empiricis adhibentur, mortem aliquando hominibus attulisse, ij enim nulla ratione, nullaque methodo suffulti, sed sola experimenti indagine, nec causas morborum verè cognoscere, nec ordine auxilia applicare possunt. Propterea miles quidam in morbo inueterato sui nepotis, qui capitis achoribus erat fœdatus, sine cautione, more empiricorum, nec ætate obseruata, vnguentum ex arsenico, sulphure, viridi æris, semine sinapis confectum capiti apposuit: ita enim ex quodam libro remedium collegerat, & manè sequenti puer ille, qui erat duodecimannorum, in lecto mortuus inuentus est. Hi profecto fructus empiricorum existunt.

Ex

Ex Valeſco.

Triplici auxilio homines longæuam vitam acquirere poſſe.

NIſi hominum frequens luxus excreſceret indies, fortaſſe illorum vita longior ſaniorque videretur. hi autem in luxum, epulas, & otia effuſi, vix trigeſimũ excedunt annum abſque ſenectutis aliquo veſtigio. vita enim longęua non luxu & profuſione nimia, ſed triplici tantum remedio comparatur: ſiquidem parcitas cibi & potus, bonus cibus & moderatum exercitium mortalium vitam, ex Philoſophorum decreto, producere valebunt. Bartholom. Moles ex Diuo Gregorio.

Quo pacto ſingultum cohibere valeamus.

NOn leui anguſtia ſingultum homines cruciare quandoque videmus, adeò quod multi in longiſſimam vigiliam huiuſmodi affectu ducti ſunt. Multi ſunt, qui ex improuiſo timorem ſingultientibus incutientes, votum aſſequuntur: alij verò auriculari digito iubent intus aures diu confricari, Lyſimachus tamen apud

Platonem, sternutamento, aspersione aquæ frigidæ, & respirationis cohibitione singultum excuti propalauit.

Quo pacto plebeios & inscios in admirationem ducamus.

PLebei profecto, qui populi pars simplicior est, ex leuissima occasione facile in admirationem ducuntur. Si optas autem vt adstantes credant vel magico carmine, vel quodam miraculo te operari, manè cum verbascum flores aperit æstiuo tempore, iis præsentibus leniter moueto plantam: flores enim paulatim decidunt, & exiccantur, cum magno illorum stupore, siquidem illius plantæ hæc est proprietas, vt (Sole accedente) flores decidant. Quod si magis irridere velis, inutiliter aliquid murmurabis, vt admiratio excrescat, vltimò tandem omnia in risum finiantur. Ex Porta.

Memoriam è thure epoto maximè augeri.

MAximo hominibus adiumento est firma memoria, tristitiæ verò & labori imbecillitas, iis præsertim qui bonarum

narum litterarum ſtudio incumbere optant. Ita autem confirmatur. Thus albiſſimum in pollinem attritum, & cum vino, ſi hyems fuerit, vel aqua decoctionis paſſularum ſi æſtas, epotum, in Lunæ augmento, oriente Sole, nec non meridie, & occaſu, mirum in modum memoriam augere fertur. Ex Rhaſi.

Quo pacto famis importunitas cohibeatur.

QVis Taurum Philoſophum, eiuſque ingenium non admiratur in reprimendo famis impetu? profecto dum fame maximè moleſtabatur, eius importunitatem compreſſis hypocondriis, & ventris ſtrictione compeſcebat. Apud Aulum Gellium.

Mulierem grauidationis tempore palleſcere, debilioremque eſſe.

NOn ſine ratione mulieres, quo tempore vterum gerunt, virore pallidæ fiunt. purus enim illarum ſanguis continuò ex corpore deſtillat, & in vterum à natura demittitur, vt fœtum tum nutriat, tum eius procuret augmentum. Cum autem ipſis paucior in corpore reſideat ſanguis,

guis, necesse est fieri pallidas, atque alienos cibos appetere. Insuper ex eo, quia sanguis solitus ipsis minuitur, debiliores fieri necesse est. Ex Hippocr. lib. 1. de morb. mulier.

Myristicam nucem à viro gestatam vigorosiorem fieri.

Mirabilis est nucis myristicæ, quam vocant moscatam, cum homine sympathia: si enim à viro gestatur, non modò vigorem proprium conseruare, verum atque turgere, magisque succulentam & speciosam fieri autumant, præsertim si iuuenilis adultæque ætatis homines circumferant. Ex Leuinio Lem.

Hepaticos, & lienosos, decocto chamedrii sanari.

Inter præstantissima remedia, quæ hepaticis, & lienosis adhibentur, primum chamedris locum retinet: si enim ex aceto decocta, per plures dies exhibetur, hepaticos, atque lienosos proculdubio sanat: multis equidem experimentis comprobatum est tale decoctum viscera ab infar-

infarctu liberare: propterea in febribus chronicis, eo quod obstructiones mirè abigat, fælici ex successu à multis pro singulari secreto audio vsupari.

Pulsus deficientes, & intermittentes in iuuenibus mortem prædicere.

QVanti timoris in languentibus, pulsus deficientes, vermiculantes, & formicantes existant, apud Medicos notissimum est: ij enim ex prostrata natura exorti, exitium esse in foribus ostendunt. Intermittentes autem duorum pulsuum spatio, non modò in omnibus suspecti habentur, verum atque omnium (maximè in iuuenibus) exitiosi sunt: ita voluit Galenus, qui in pueris, & senibus, non ita fore timendos asseruit. Huius rei habuit experimentum Prosper Alpinus in Iacobo Antonio Cortuso octuagenario, pleuritico, & febre ardente vexato, cui pulsus fuerunt cùm intermittentes, tum deficientes, tamen ille citò conualuit. Lib. 5. de med. method.

Mithridatis Regis ad venena maximum Antidotum.

DEuicto Mithridate Rege maximo, in eius Arcanis Pompeius inueniſſe in peculiari commentario ipſius manu cõpoſitionem antidoti dicitur. Conſtabat ex duabus nucibus ſiccis, item ficis totidẽ, & rutæ foliis viginti ſimul tritis, addito ſalis grano. Si aliquis hoc ieiunus aſſumeret, nullum ei venenum nociturum illa die affirmabat. Ex Plinio.

Quo artificio oſſa, vel ebora colorari valeant.

SI oſſa, vel ebora colorata habere deſideramus, ea in primis oportet ab immunditiis purgare, deinde in aluminis aqua decoquere, tum demum in vrinam, vel calcis aquam in qua diſſolutum ſit verzinum, rubrica, aut cæruleus color, ſiue alius ex voto, immittere, & vna iterum coquere. Cum autem perfrigerata in eodem etiam liquore fuerint, extrahenda ſunt: & pulchra, & bellè tincta habebimus. Alexius Pedemont.

Bryoniæ radicis è vino albo decoctum, histericam passionem reprimere.

BRyonia in sedanda mulierum histerica passione, egregiam habere virtuté multis experimentis dicitur. Ex multis obseruationibus in quadam muliere, quæ quotidie ferè per multos annos hoc affectu laborauerat, à Matthiolo comprobata est. Hæc cum semel per hebdomadã eius consilio, sub lecti ingressum, vinum albũ, in quo ipsius radicis vncia efferbuerat, hausisset, ex illa passione optime conualuit. Ne tamen amplius in suffocationes deueniret vteri, per annum integrum hoc medicamento vsa est, nec morbus iterum recidiuauit.

Quo suffitu serpentes venenati à domibus vel pradiis arceantur.

MVlta equidem reperiuntur, quorum suffitus adeo serpentibus odiosus est, vt à loco vbi is fiat penitus arceantur. Scribit Florentinus in Geopon. venenatam feram nunquam accessuram, vbi adeps ceruinus, aut radix Centaurij maioris, aut Lapis Gagates, aut Dictamus cre-

ticus, aut Aquilæ, vel Milui fimus cum ſtyrace miſtus ſuffiatur. Ex Gal. autem habemus in lib. de med. fac. parab. ad Solonem. Pyretrum, ſulphur, cornu ceruinum, pinguedinem, & pulmonem Aſini accenſum, ac ſuffitum, cuncta animalia venenoſa efficaciter fugare compertum eſſe.

Herpetes exedentes Tabacci cerato feliciter ſanari.

HIeronymus Aquapendens in lib. 1. de Tumor. præt. nat. c. 20. exedētes herpetes teſtatur curaſſe, quo ad totum corpus ex ſero Caprillo expurgatione, ſæpè autem cum ſalſæ parillę decoctione: partes affectas aquis thermalibus D. Petri lauabat, vltimo iis felici cum ſucceſſu ſequens admouit Ceratum. R. Succi Tabacci, ſeu herbæ Reginæ vnc. iij. Ceræ citrinæ nouiſſimæ ſemis vnc. ij. Reſinæ pini. vnc. j. ſemis Reſinæ Therebintinæ vnc. j. Olei mirtini quantum ſuffic. pro formando Cerato.

Vina albæ qua induſtria in rubra mutentur.

ALba vina abſque vllo detrimento in rubra (auctore Mizaldo) ſtatim cōuer-

uertuntur, si puluerem mellis ad durissimam consistentiam decocti, & siccati in vinum album proiecerimus, & transuasando miscuerimus. Id autem minori fastidio efficiet lapathorum radix, si recens vel sicca in vinum mittitur.

Flores in Aegypto prope Nilum inodoratos existere.

ODor in sicco fundatur, eidemque innititur: hinc euenit (auctore Theophras. 6. de caus. plantar.) vt fructus agrestes, vrbanis sui generis odoratiores, eo quod facciores existant vrbanis, habeantur. Hæc quoque causa est, quod in Ægypto minimè odorati flores nascantur: vt enim Plinius prodidit, Ægypti aer à flumine Nilo tum Nebulosus, tum roscidus est: cuius causa odor in floribus adimitur.

Absynthium ventriculum roborare solùm adstrictione.

QVantam Absynthium in roborando ventriculo vim retineat, in multis ocis à Galeno exprimitur; hanc autem

virtutem non ob amaritudinem, sed propter adstrictionem Absynthio inesse verisimile est. Cōstat hoc totum, ab eius succi natura, qui corroborandi facultate destituitur, ex eo, quòd terreæ partes, in quibus adstringendi vis posita est, ab ipso separantur. Succus itaque solùm amarulentiam habet, quæ tamen abest, vt ventriculum roboret, sed vt potius illum infestet.

Ex epoto Chalcantho albos pilos è capite decidere.

LIcet Chalcanthi, siue vitrioli vsus, ore sumpti, apud Galenum suspectus habeatur: à multis tamen audio maximè commendari. Inter graues scriptores, Rhases est, qui 25. Continentis, c.24. se habuisse amicum quendam scribit, qui pota vitrioli drachma, prope noctem, pilos omnes, quos in capite habebat albos, abiecit. Res profectò mira est.

Phrenitidem ex Coralio feliciter sanari.

COralium nigrum, quod Antipallas siue Antipathes dicitur, in Phrenite

de morbo corrigendo, & ſanando perquam miram habere facultatem exiſtimatur. Hoc nigerrimi coloris eſt, & ob varietatem in magno pretio tenetur, & contra huiuſmodi affectum tanquã præſtantiſſimum remedium vſurpatur. Ex Enceliode Gemmis lib.3.

Lethargicos à Satureia capiti admota excitari.

MVltis experimentis obſeruatum reperio, Satureiam cum floribus vino incoctam, & calentem occipiti admotam, Lethargicos difficili ac pertinaci ſomno oppreſſos ac veluti raptos excitare & reuocare. Vt autem curæ fælicior ſit exitus, huius decocti guttæ aliquot infirmi auribus inſtillandæ ſunt. Handiſchius.

Peſtilentias quaſdam occulta antipathia hominum corpora depaſcere.

MVlta reperiuntur, quæ occulta quadam antipathia, cunctis hominibus aduerſantur. Huiuſmodi fuit aura illa peſtilens, quæ ex arcula aurea, in quam

miles fortè quidam inciderat (referente Iulio Capitolino) in Babylonia orta est. Ex hac nata fertur pestilentia, quæ inde Parthos, orbẽque compleuit. Huic haud absimilis, vel prauior, vtiq. fuit pestis illa, quæ anno 1348. ab oriente incipiens (teste Guidone Cauliacensi) vniuersum ferè orbem vagauit, tantaque sæuitie peragabat, vt vix quarta hominum pars superstes euaserit. Brauus.

Infantes eiulare quoties lac nutricum mammas & papillas pungit.

ASsidua experientia comperimus tũc eiulare infantes, quoties lac mammas nutricum, & papillas lancinat, & pũgit, quippe ad infantulos tunc nutrices redire videntur statim, cum papillarum mordicationem siue vellicationem sentiunt. Duplici autem id fieri negotio credendum est: vel quia quo tempore coctionem infantulus perfecit, eodem momento nutricis vbera complentur, vel quia tutela Angeli Custodis infantis nutricẽ ad officium leuissima vellicatione sollicitat. Hoc verius videtur eo, quod modo citius, modò tardius infantes eiulant:

lant: & vtriusque status non semper idē est. Ex Bodino lib. 3. Thea. natu.

Salis prunellæ virtus & compositio.

SAl prunellæ, ob singularem vim, dolores mitigandi à quauis causa calida & inflāmatione excitatos, quam retinet, Anodynū minerale à chymicis appellatur. Eius compositio talis est: Paratur ex nitro optimo, quod in crusibulo funditur, paulatim superinijciendo flores sulphuris, qui eius pinguedinem tollunt, idque adeò pellucidum purumque reddūt, vt si super lapidem marmoreum effundas, omninò clarum, & diaphanum appareat vitri instar: quod deinde Sal siue lapis prunellæ dicitur. Salutare est remedium ad ardētissimam illam febrē Hungaris familiarem extinguendam, & edomandam, cuius ferocia tanta est, vt ægrotantium linguas prorsus nigras, & prunis ardentibus similes efficiat. Cum autē tāti symptomatis sæuitia extinguatur huius vsu, leniatur & opprimatur, Sal prunellæ appellatus est. Est præterea idem remedium magnum diureticum, & diaphoreticam. Quercetanus in Pharmacopœa.

Hydrophobos epoto Catuli coagulo aquam illico appetere.

MIris laudibus Catuli coagulum in Hydrophoborum cura ab Ætio extollitur: Illud enim si semel tantùm ex aceto Hydrophobici gustauerint, statim eos aquæ potus cupiditatem capere: ob id medicamentum hoc præstantissimum iudicamus, in huiusmodi enim affectu nulla salus salubrior iudicatur, quàm aquæ potus: quo deficiente, mors in foribus semper est.

Cur Leo Gallum timeat absoluta inquisitio.

CVm quodam die Cercelli animi gratia apud Carolum Cisellum Iurisconsult. clarissimum, meique amicissimũ fortè interessem, fortè inter nos de Galli natura orta fuit disputatio: illa præsertim, cur Leo illum timeret? Pro dubij solutione Ficinum in lib. 3. de vita cælit. compar. adduxeram: qui Leonem Gallũ vereri scripsit, eo quòd in ordine Phæbeo Gallus est Leone superior. Hoc etiã ex Proclo confirmare volui, qui Apollineum

neum Dæmonem, qui alias ſub Leonis figura apparuerat, ſtatim obiecto gallo diſparuiſſe prodidit. Ille autem, quia bonarum literarum citra legalem ſcientiam admodum ſtudioſus eſt, contraria ratione Leonis timorem euenire cõtendebat. Adducẽbat Leonardum Vairum in lib. 1. de Faſcino, qui ex Gallorum oculis ſemina quædam ac ſpiritus exire profitetur, quibus Leonibus dolor, ac mæror incredibilis incutiatur, inde veluti effaſcinatos timere. Ego quidem licèt à Lucretio hanc etiam opinionem ſuſtentari vidiſſem: tamen poſt pleraque vltro, citroque inter nos de re hac ventilata, confeſſus fui apud me neutram opinionem videri validam. Vbi enim naturales rationes præualent, nec ad Aſtrologicas, nec ad occultas aufugiendũ eſt. Leones quoniam bile flaua, & copia caloris abundant, facilè fit, vt ex ſonora galli voce commoueantur: ita profectò Canes ex leui etiã alterius latratu faciunt. Inſuper rubicũda galli criſta, flãmę inſtar rutilantis, primo aſpectu, coloris ratione, bilẽ in Leonibus celeri motu excitat, vt pãni rubri armenta quædã fugare, & mouere ſolẽt: inde fit, vt quodammodo leones & a-

ſpectũ,& galli vocem timeant. Haud tamen credendum eſt in iis (ſedato primo impetu) perpetuo timorem ex hac beſtiola durare,& induci poſſe.

Coruos morientium fœditatem ſentire, & ob id ſuper tectum infirmorum crocitare.

COrui, quia hominibus meliorem habent odoratum, vt voluit Ariſt. corporis morituri fætidum odorem de longe ſentiũt: ſecus eſt in hominibus, licet prope maneant. Propterea ſuper tectum infirmi Corui volitant,& crocitant, quãdo eius corruptio, & fœditas magna eſt, vt ea paſcantur : huiuſmodi enim animaliũ genus rerum fœtidarũ maximè auidum eſt, quibus paſcitur: idcirco in bellis,& in peſtilenti tempore, cum corpora mortuorum vel hominum, vel animalium humi iacta ſunt, Coruorum copia præualet. Homines vulgares,& qui parum prudentes ſunt, dum Coruos crocitantes ſuper tectum infirmi aſpiciunt , illum mori debere aſſerunt: hoc autem falſum eſt: ij enim tantum fœditatem inſequũtur. Sæpè tamen Deus permittit Dæmones in Coruorum,& aliorum animalium forma

ſuper

ſuper domos, vel in domibus morientium apparere, quando beſtialiter vixerunt. Ex Berardino de Buſtis.

Quo artificio æs aduratur, & cinnabari colorem acquirat.

SI æs vſtum colore cinnabari, & ad rubedinem verſum habere volueris, queadmodum optat Dioſcorides, Accipe æris laminas cultri coſtæ profundas: non ſint autẽ æris alias fuſi, quia in hoc ſemper ſtamnum commiſtum eſt. Has ſuper ignitos carbones apta: cum autem illæ rubeſcere incipient, ſulphuris puluerem tenuiſſimum leniter deſuper coniicito, videbis enim (ceſſante ſulphuris flamma) æris ſquamulas euidenter extrahi, & euelli. Tu modo ſi perfecte non poſſe euelli cognoueris, addito ſulphurem toties, quouſque lamulæ eradicari videantur: caue tamen ne vrantur, & ad nigredinem vergant. Extincta tandem ſulphuris flamma, & refrigeratis laminis, æris rubei ſquamulas habebis magni valoris, quas loco Hydrargiri præcipitati in medicamentis recipies, alias autem huius vires apud Galen. & Dioſc. videto.

Theodorus Gaza, quod infeliciter tex. Arist. de Hydrophobia conuerterit, a crimine absoluitur.

THeodorus Gaza vir quippè doctissimus dum Arist. tex. 8. de histor. animal. c. 22. traduceret, omnia animantia voluit à Cane rabido demorsa in rabiem agi ac mori excepto homine. Hoc autem quantum sit falsum, quotidiana demonstrat obseruantia. Homines enim demorsi in rabiem aguntur & pereunt: nisi rectè curantur, vt cuidam (pauci sunt menses) hîc iuueni accidit, qui à Cane rabido in manu demorsus, nullo adhibito medico, sed solum circulatoribus confisus, in 40. die in furorem deuenit, quo tempore licet me parentes vocassent, facto tamen præsagio, quod breui moreretur, tãquam deploratum reliqui. Hæc igitur Theodori traductio plerosque in varia labyrintha deduxit: multi enim, tum vt Gazam defenderent, tum etiam vt Aristotelem ab erroris suspitione vindicarent, textum ita acceperunt, animantia omnia à cane rabido correpta interire, hominem verò solum absque periculo non seruari, ita exposuit Iulius Pollux. Alij verò, inter quos

quos est Leonicenus, textum malè fuisse conuersum, vel esse deprauatum contendunt, & sic loco πλὴν, legendum πρὶν, asserunt, quasi homo correptus, & in rabiem, & mortem deueniret, sed non ita citiùs, vt cæteris animalibus contingit. Hic sensus, quoad negotij veritatem verus est, quia homo propter sui optimum temperamentum, tardiùs quàm cætera violatur: tamen Aristotelis intentio neutiquam est. ipse enim ex professo hominẽ à rabie, & morte seruari scripsit, cuius textum Gaza fideliter traduxit, neque deprauatum, neque commutandum existimo, quia mens Philosophi peruerteretur. Vt autem Arist. opinio omnibus innotescat, hydrophobiam in homine morbum esse nouum, illiusque tempestate incognitum proponimus, ex quo iure exposuit animantia omnia è Canis rabie emori, homine excepto, quia hæc lues in homine nondum innotuerat. Confirmat opinionem nostram Plutarchus 8. Symposiacorum, in probl. 9. dum ex sententia Athenodori Medici conscripsit, hydrophobiam esse morbum nouum, atque apparuisse tempore Asclepiadis, qui sub Pompeio Romæ claruit. Confirmant et-

iam hoc Scriptores ante Asclepiadem,
qui de Hydrophobia mentionem aliquá
haud faciunt: Quod si manifestum fuis-
set,non video cur sub tanto silentio tan-
tum morbum occultassent. Ego quidem
Hydrophobiam antiquitùs haud extitisse
persuaderi non possum: innotuisse autem
verisimile est,non ob aliud,nisi quia mor-
bus hic non statim à vulnere aperitur: Si
quidem multi in 40.die rabiunt, aliqui
post sextum aut octauum mensem,vel e-
tiam post annum,vt scribit Gal. Auicenna
adnotauit post septimum, Albertus post
duodecimum, Propterea antiquitus, &
præcipuè Aristotelis tempestate, huius
morbi causa non aduertebatur à Medicis
nec innotescebat aquæ timor,nec à canis
vulnere & rabiem & illa praua sympto-
mata oriri imaginabantur: idcirco Aristo-
teles etiam inter illos hominem commor
sum à cane rabido,nec rabidum fieri nec
emori scripsit.

Asari radicem pro expurgandis vomitu tenacibus humoribus à ventriculo efficacissimum esse remedium.

QVanta sit Asari radicis non modo inciendo vomitu,verùm atque in ex-

purgandis à ventriculo, & ab eius partibus, humoribus craſſis & tenacibus efficacia, ſapientum aliquot edocuit obſeruatio: ſiquidem multi non ſolum in vitiis ventriculi, ſed etiam in quartana febre, aliiſque longis affectibus hac euacuatione feliciſſimo cum ſucceſſu vſi ſunt. Præparatur è ſcrup. ij. aut Drach. j. radicis Aſari, quæ in hydromelite, aut paſſularum decocto ſit diſſoluta, cui tantillum cinamomi, & ſirupi violar. adiicitur. Ex Fernelio.

In conſtruendis ſepulchris Veteres fuiſſe admodùm diligentes.

EXacta Veteres in conſtruendis ſepulchris vtebantur diligentia: idcirco admiratione maxima dignum eſt illud, quod à Ludouico Viue narratur, memoria patrum ſuorum ſepulchrum fuiſſe erutum, in quo ardens lucerna inuenta eſt. Hæc ibidem (vt inſcriptio atteſtabatur) ante Ann. M.D. condita erat, & poſita: manibus autem contrectata, ex templo in puluerem conuerſa eſt. Ex Langio.

Caniculæ exortum à Veteribus maximè fuisse obseruatum.

CAniculæ exortus antiquitùs à priscis summopere obseruabatur, siquidem ex eius colore de anni statu coniecturam capiebant. Illa enim si obscurior, & caliginosa oriebatur, grauem, & pestilentem fore annum, si clara & pellucida, salubrem ac prosperum prædicebat. Heraclides Ponticus.

Aegyptiorum de quatuor elementis opinio.

QVatuor elementa fecerunt Aegyptij, ex singulis tamen bina, marem & fæminam constituunt. Aerem marem iudicant quâ ventus est, fæminam quâ nebulosus & iners. Aquam virilem vocant mare, mulierem omnem aliam. Ignem vocant masculum quâ ardet flamma, & fæminam quâ lucet & innoxius tactu. Terram fortiorem marem vocant: saxa cautesque fæminæ nomen assignant, huic tractabili ad culturam. L. Seneca lib. 3. Natur. Quæst.

Phre-

Phreneticos aliquando mirabilia loqui.

MIrabile eſt, quod aliquando in Phreneticis obſeruamus, iſtorum enim aliquot (benè inflammato cerebro) lingua latina loqui vel carmina componere ligato rythmo, cum priùs fuerint eorum ignari, viſi ſunt, ſed quod mirabilius eſt, Nicolaus Florentinus refert, ſe fratrem phreneticum habuiſſe, qui futura prædixit, quæ euenerunt, ita vt eius prædictiones magna ex parte poſtea veræ inuentæ fuerint: de quibus tamen ſanus exiſtens, nullam habebat cognitionem.

Infantium rupturas qua via ſanare valeamus.

MVltis obſeruationibus, nullum remedium ſalubrius infantium rupturis inueniri expertum eſt, quam ex tritis cocleis, thure, & oui albumine emplaſtrum confectum. Hoc enim ſi parti affectæ apponitur, & infantes eo tempore in lecto detinentur, miram in ſanando affectu retinet efficaciam. Ex Matthiolo.

Digitum anularem maximam cum corde retinere ſympathiam.

QValem anularis digitus cum corde habeat conſenſum, in animi defecti-bus, & in ſyncope experimur. Qui enim à talibus paſſionibus vexantur, vellicato articulo anularis digiti ſeu medici, vel at-tritu auri ad eundem cum croci momen-to eriguntur. Per hunc profectò vis quæ-dam refocillatrix ad cor peruenit, ex qua ab animi defectu collapſi vigorantur, & in priſtinam valetudinem redeunt. Ex Lemnio.

Carnes coctæ quomodo crudæ videantur.

IN lautis conuiuiis, ne voraces guloſi, carnes coctas comedant, ſic artificium parabimus. Excipitur leporis, aut agni ſanguis, quem congelatum, & ſiccatum in puluerem comminuemus: hic ſi ſuper carnes coctas ſpargitur ſtatim ſoluitur, illæque colorem proprium mutantes ſanguinoſæ videbuntur, vt nauſeabundus eiicias. In commeſſationibus contra pa-raſitos hoc eſt electum remedium. Ex Vuecchero.

Ad oris vlcera, labiorumque scissuras expertissimum remedium.

THomas Thomaius in Idea sui viridarij, Nicolaum Zãnonem Chirurgum Rauennæ retulit, mirabili successu & artificio oris gingiuarum, linguæ, & palati, nulla alia re quàm radicis pentaphyllon, siue quinque foliorum decocto vlcera sanare, atque labiorum scissuras linimento ex oleo amigdalarum dulcium, cera, & mastice, quàm breuissime ad sanitatem perducere.

Ex apri testiculis, sterilitatem in hominibus remoueri.

MAgna est vxoratis inquietudo, & animi perturbatio, prole carere sterilesque existere: propterea vt à tanto infortunio liberẽtur, prolemque habeant, per aliquot dies ieiuno stomacho vir & vxor cum iure galli veteris, testiculorum apri, siue verris in vmbra exiccatorum puluerem capiant: profectò breui tempore optatum adipiscentur, vt in multis sterilibus ex quacunque causa non semel expertum est. Ex Democrito.

Bufonis tibiis dentium dolores euanescere.

INter maximos cruciatus a quibus corpora nostra defatigantur, dẽtium dolores perniciosissimi existimãtur, adeò quod multi, & in animi deliquia & in manias deuenerunt, multi etiam in vitæ desperationem. Huius doloris remedium in odioso & abominabili animali natura reposuit. Aperiam hoc arcanũ maximum. Tibiæ bufonis, siue ranæ terrestris à carnibus mundatæ, si super dentes condolentes fricabuntur, immediatè dolorem remouent, adeóque excruciatus cessabit, vt quasi in dentium superficie dolor collocatus videatur: experire modo, & fruere tanti arcani thesauro. Ex floranante.

Cepam ab Hippocrate maximè detestari.

CEpam Hippocrates aspectu magis quàm esu commendauit, visu bonam esu malam esse dicens: Idcirco lucubrationibus, & literarum studiis addictis summè cauenda est: oculos enim vitiat, & visum obtenebrat, bilemque exacuit.

cuit. Villicis & fossoribus, quibus literis haud cura est, huius esus maxime collaudatur: eius enim calore vires ad opera exercitanda magnoperè excitantur. Ex Plinio.

Animalibus naturam non modò terras, verùm atque situm pro termino constituisse.

MAgna fuit Naturæ diligentia in constituendis terrarum terminis, & situ quibusdam animalibus: ne simul vbique viuentia, & hominibus & sibiipsis perpetuo essent nocumento. Propterea animalium pleraque in diuersum à proprio adducta situm vt plurimum ægrotant, & moriuntur. Hinc colligimus in Mæsia, Sylua Italiæ, non nisi in parte reperiri glires. In Olympo Macedoniæ monte Lupi minimè habitant, nec in Creta insula. In Africa nec vrsi, nec apri, nec cerui, nec capreæ videntur: In Illyria, Thracia, & Epyro asini parui generantur: In Scytica terra autem, & Celtica nec sunt asini, nec viuunt leones in Europa, Panthere in Asia, Ibis in Ægypto solùm commoratur. In Creta nec vulpes, nec vrsi

ſunt, nec aliud animal maleficum præter phalãgium. In Ebuſo Cuniculi non ſunt, ſcatent in Hiſpania & Balearibus. In Seripho inſula ranæ ſunt mutæ, illæ autem ſi alio transferuntur, vocales fiunt. In Italia mures aranei venenati ſunt, hos tamẽ regio vlterior Apennino haud generat: Cerui in Helleſponto alienos fines non commeant. In Ithaca illati lepores non viuunt. Sunt & alia animalia quæ in determinatis locis, & non vbique viuunt & generantur.

Apij eſum in menſis apud veteres infauſtum extitiſſe.

EX veteribus maiores nullum Apij genus in cibis admittere ſolebãt, de functorum enim epulis feralibus ab ipſi erat dicatum, vt ex Chryſippo Plinius re tulit. Multi autem non ſolùm ex hoc quia ſepulchra coronabantur, Apium veteribus fuiſſe damnatum à menſis, ſe etiam quia eius eſu viſus diminuitur, Epilepſia generatur, autumant: vnde Medicis nutrices moneri conſulo, (fre quenti enim huius vſu, lac tum decrem tum tum malam recipit qualitatem)

ab Apio abſtineant,ne infantes earum v-bera, lactantes in morbum comitialem proni fiant. Dicunt in eorum caulibus, nonnulli eruditi Scriptores, vermiculos naſci,eoſque ſterileſcere,qui comederint in vtroque ſexu.

Satyrij teſticulum carnoſiorem Veneris incendia excitare. flaccidum verò extinguere.

SAtyrium, quod Canis teſticulos vocant, magnæ apud ſapientes eſt conſiderationis: in hoc enim, tum Venerem excitandi, tum reprimendi à natura videtur eſſe remedium collocatum Quippe maior plantæ bubulus, qui plenior & mollior eſt, ex ſuperflua & ventoſa eius humiditate in potu aſſumptus Veneris incendia excitare conſueuit: minor verò, qui flaccidior & aridior eſt, illa reprimere, Veneremque extinguere videtur. Ob id (vt aiunt) in Theſſalia mulieres mollem teſticulum in lacte caprino ad ſtimulandos coitus, & bibere, & hominibus in potu præparare ſolent. Quod autem in Satyrio mirabilius eſt, alterum alterius in potu

ſumptum potentiam & efficaciam reſoluere, ſi vterque teſticulus vnà exhibetur.

Sterilitatem hominibus à ſterilibus animalibus poſſe prouenire.

SI verum eſt, quod ab Athenæo proditur, Mullum ter in vita parere, reliquoque tempore ſterilem eſſe, quod in eius vtero naſcantur vermiculi, è quibus ſemen deuoratur: non abſque ratione ex iſtius natura homines poſſe ſterileſcere Terpſicles apud eundem dicebat. Mullus enim ſi viuus in vino fuerit ſuffocatus, atque id vir biberit, rei venereæ operam dare non poſſe credidit, quod ex Plinio etiam confirmatur, qui Veneris incendia illud extinguere ſcripſit.

Cynorrodi radicem ad Hydrophobiam plurimùm valere.

AD morſum canis rabidi vnicum remedium quodam oraculo repertum proponit Plinius lib.8.cap.41. Hæc radix ſilueſtris roſæ eſt, quæ Cynorhoda appellatur. Narrat B. Fulgoſius de

qua-

quadam fæmina quæ per ſomnium admonita eſt, vt radicem Cynorrhodi filio à cane rabido demorſo, & aquas iam metuenti præberet, quæ ſtatim in Hiſpaniam pro radice miſit, qua Hydrophobicus celerrimè ſanitati fuit reſtitutus. Ex Gemma Coſmocrit. lib. 1. c. 6.

Hominis vitam quibus ſignis longam vel breuem metiamur.

HOminis vita pomo perſimilis eſſe videtur: quod aut maturum decidit ſponte, aut ante iniuria tempeſtatum ventorumue impetu deijcitur. Vitæ breuis ſigna colligimus, raros dentes, prælongos digitos, ac plumbeum habere colorem. Contra longæ, incuruos humeros, craſſoſque atque clarum retinere colorem. Forcius.

Extractum Hellebori nigri ad morbos inueteratos magnæ eſſe præſtantiæ.

IN deſperatis iſchiadis doloribus, artheticis, atque affectibus inueteratis, iiſque potiſſimum, qui ex atro, & melan-

cholico humore excitantur, extractum nigri Hellebori, remedium præstantissimũ semper esse inueni. Capiantur nigri Hellebori radices à sordibus purgatæ, & in pila terantur grosso modo: infundantur vino albo, & in vase terreo ebulliantur quousque radices benè emolliantur, quo facto prælo exprimantur, & iterum in vase terreo leniter ebulliat (deiectis tamen radicibus) quod fuerit expressum. Acquiret succus spissitudinem instar picis, qui cum modico cinamomo, & puluere anisorum miscendus est. Dosis in grãdioribus est scrup. sem. in minoribus à granis quatuor vsque ad sex. Datur cum saccaro in forma pilular. Cõfiteor in obstructionibus, in epilepticis, retentione menstruorum ex crassorum humorum infarctu, & in aliis inueteratis affectibus, mirabiles huius remedij successus vidisse. Conficitur etiam extractum sine expressione, & efficacissimum est.

Ad Lienem induratum eiusque obstructionem efficacissima præsidia.

INter ea remedia, quæ lienem & splenericos ab obstructionibus liberare reperta sunt,

ta sunt, mihi semper ex voto successit Absinthij Romani decoctum, ieiuno stomaco epotum, quod à Cornelio Celso summè commendatur: vt autem id felicius succedat, post cibum aqua Fabri ferrarij in qua pluries ignitum ferrum extinctum sit Lienosis præbenda est: Experientia id totum manifestauit, animalia enim apud huiusmodi fabros enutrita, ob eius potum, exiguos habere lienes obseruatur. Beniuenius ciuem Florentinum per septennium splenis scirro malè affectum curasse gloriatur, atque solo esu capparorum, & aqua eadem persanasse. Debent tamen hæc remedia multo tempore vsurpari, vt scopum attingant.

Hominem quendam fuisse repertum, miræ vastitatis, & ingluuiei.

INdixerat Maximilianus Cæsar Ann. MDXI. apud Augustû comitia, quando illi vir quidam prodigiosæ vastitatis, & crassitudinis oblatus est, at in illo incredibilis & insatiabilis erat ingluuies, ita vt integrum vitulum crudum, vel ouem incoctam vna vice deuoraret, nec tamen famem expletam diceret. Ferunt (vt Su-

rius) hominem Borealibus regionibus
ortum fuiſſe, vbi ob locorum frigora ſo-
lent homines eſſe edaciores. Hoc tamen
non ſolum in Septentrionalibus parti-
bus, verum atque alibi repertum eſt: Vo-
races enim ſupra modum fuiſſe referunt
(Æliano auctore lib. 1. de var. hiſt.) Pity-
reum Phrygem, Cambetem Lydium,
Charidam, Cleonymum, Piſandrum,
Charippum, Mithridatem Ponticum. Et
Anaxilas comicus dicit, Cleſiam quen-
dam infinitæ voracitatis extitiſſe.

Antidotorum aliquot contra venenum obſeruationes.

RVſticus quidam dum herbas ſecaret, à Vipera morſus, per impoſitionem tormentillæ à campo penſili collectæ illico liberatus eſt. Alter cum ab ingenti dolore & ardore premeretur ſuper dextra ſpatula, & ita angeretur, vt vix ſe pedibus continere, oculis videre, & loqui poſſet, veritus ne à ſcorpione eſſet commorſus, oleum bibit, multum vomuit, & à dolore leuatus eſt, & quod mirabilius, in ſpatula nihil erat ſigni, vbi prius fuerat dolor. Quidam etiam à ſimili dolore &

tremore

tremore correptus ex aſſumpto Bolo armeno cum aceto ſubitò euaſit. Puellus etiam putredinem timens & vermes, aſſumpſit Scordeum, & liber factus eſt. Ex Franciſ. Thomaſio de peſte.

Quo artificio Cancri viui ex templo cocti videantur.

VInum ſublimatum, ſiue aqua vitæ magnam habet efficaciam in rubificandis cancris viuis: propterea ſi vis homines in admirationem ducere, accipe viuos cancros atque in vino ſublimato ſubmergas, ita enim confeſtim rubeſcunt, ac ſi percocti eſſent, tanta eſt illius aquæ caliditas & energia, vt inſtar ignis exardeſcat: admiratio tamen innaſcitur, quòd rubefacti & viui ab aqua exempti ambulent.

Quomodo flamma excitetur in aqua.

SI calcem non extinctam accipies, Sulphur virginem dictum, camphoram, & ſal nitrum in partes æquales, ac benè omnia ſimul miſcebis, puluis parabitur, qui in aqua proiectus inflammabitur, ac lucē

reddet: quod parui momenti haud erit, præcipuè ſi noctu luce indigebis. Poterit id fieri in vaſculo aqua pleno, vt quidam amicus meus dum noctu in itinere eſſet, expertus eſt, qui totum mihi fideliter communicauit.

Vbi vigent morbi, ibi maximè remedia oriri.

MAgna eſt Naturæ prouidentia in adiuuandis hominibus, quippè obſeruatum eſt, vbi aliqui morbi copiosè vagantur, ibi remedia accomodata ad illorum exterminium naſci voluiſſe. Hinc in Aphrica, quæ ſerpentum eſt feraciſſima, aromata tanquam eorum veneno antidota, oriuntur. In Argo Scorpiones plurimi videntur, propterea ibi locuſta aduerſus Scorpiones inſurgens naſcitur. Apud Indos Occidentales Galliga lues viget, ibi lignum Sanctum Guaiacum dictum exoritur, & illinc ad nos defertur. Cantharides veneno erodunt, illis remedium caput, alas, & pedes earum exiſtere obſeruamus. Qui à Stellionibus mordẽtur, iiſdem in potu ſumptis ſanantur. Crocodili adeps, ſi in ipſius vlcera inſtillatur,

làtur, ſuo veneno mederi videtur. Scorpiones, Draco marinus & Paſtinaca contriti, & eorum plagis impoſiti, proculdubio ſanant. Napellus mortiferum venenum eſt, vbi tamen naſcitur, ibi Antora reperitur, cuius radices contra Napelli perniciem ſingulare ſunt præſidium.

Animantium lac ab alimentis recipere qualitatem.

LAc omne in animantium corporibus alimenti recipere qualitatem adeo verum eſt, vt demonſtratione non egeat: ſiquidem nutrices ex prauo in victu regimine non ſemel infeciſſe infantes viſæ ſunt. hac etiam cauſa lac in iis modò craſſum, modò liquidum, aut ſeroſum cernitur, eo ꝙ cibus aut craſſus, aut inciſiuus fuerit, modò infantium conſtringit aluũ, modò ſoluit, quod vel conſtringentia vel ſoluentia nutrices comederint. Hoc in pecoribus etiam manifeſtum eſt: in locis enim vbi hæc ſcamonium, helleborum, aut mercurialem paſcuntur, vtique lac omne ventrem, & ſtomachum ſubuertit: quemadmodum Dioſcorides in Iuſtinis montibus contingere prodidit, vbi, ſi

capræ album veratrum pro pabulo habuerint, primo foliorum paſtu euomere, & earum lac epotum nauſeam creare, atque ſtomachum vomitionibus offendere ait: Cum autem aſtringentibus pabulis, robore, lentiſco, frondibus oleagineis, & terebintho pecus hoc veſcitur, lac ſtomaco accommodatiſſimum generare veriſimile eſt.

Ex pulchritudine, & deformitate aſpectus, mores in viuentibus coniecturari.

MAgnam nobis aſpectus pulchritudo, vel deformitas non ſolum in hominibus, ſed etiam animalibus, & plãtis præſtat coniecturam qua benignos, vel prauos mores & naturas venari ſolemus: intuitu enim pulchri corporis, ſpecioſique aſpectus mitem naturam, benignoſque mores in homine illo perſiſtere coniecturamus: contrà in difformi corpore, in turpi aſpectu, timemus enim neſcio quid calliditatis, & malitiæ. In animalibus laudamus catellos, canes venaticos & ſagaces, venamur in eis benignam naturam & mites mores, contra in Moloſſis, in Lupis, Pantheris, & ſimilibus: timemus

mus siquidem crudelitatem, malitiam, & voracitatem. In plantis ex pulchritudine venamur salutares naturas, ex deformitate autem noxias. Rosa, Lilium, & Iris nobis præstant argumentum, quam plurimis pollere virtutibus: contra Cicutam, Aconitum, Napellum. ex deformitate enim plantarum huiusmodi, mortem nobis posse inducere arbitramur. Ex Porta in Physiognom.

In partibus Septentrionalibus maleficas artes exerceri.

OLaus Magnus de gentibus Septentrionalibus loquens: Sunt (inquit) Biarmi idololatræ, & Amazobij Scytharũ more atque in fascinandis hominibus instructissimi, quippè oculorum, aut verborum, aut alicuius alterius rei maleficio, homines sæpe ad extremam maciem deueniunt, & tabescendo dispereunt.

In Hæmorthagia selectissimum præsidium.

IN fluxu sanguinis narium copioso pleriq. & in animi deliquia, & syncopẽ deueniũt, multoties etiã tãti periculi

hic morbus est, vt ægri à salute desperati intereant. Aperiam quod mihi cum maxima languentium vtilitate semper adhibere profuit. Bursa pastoris contrita si cum oui albugine & aceto commista fuerit & fronti applicatur, confestim sanguis constringitur, vt mihi non semel in infirmorum cura contigit.

Vt in febricitantibus sitis, & linguæ ardor compescatur.

IN febricitantium querimoniis ex siti, & linguæ ardoribus, Cristalli vsus, inter præcipua iudicatur remedium. Illud enim si diu in aqua frigida agitatur, & ore deinde detinetur, sitim, & calorem corrigit, atque linguam humectat: maioris tamen virtutis est lapis albus, qui in lumacæ capite reperitur: hic porrò sub lingua agitatus, non modò sitim, caloremque refrænat, verùm atque saliuam in ore excitat: vnde febricitantibus, & maximè siticulosis præsentaneum iudicatur esse præsidium. Ex Lemnio.

Ad ignis præsidia sæpissimè in morbis curandis Aegyptios recurrere.

SVnt Ægyptij admodum procliues in languentium cura ad ignea præsidia e-

lige-

ligenda, propterea vstione vtuntur in Asthmate laborantibus, in stomacho frigido, humidoque ab humorumque defluxu,& flatibus repleto: Hepar,& Lienē obduratum, & refrigeratum multa cum vtilitate inurunt: Hydropicos sub vmbilico,& sub hypochōdrio sinistro linea pertia ignita comburunt. In doloribus dorsi, lumborum, colli, & omnium articulorū, in spina dorsi, lumbis, collo,& aliis partibus dolore cruciatis, hoc præsidium frequentāt. In tumoribus à crudis, pituitosisque humoribus generatis ad ignem confugiunt, tanquam auxilium quod citò multos morbos curet, inopumq. proprium esse autumant. Ex Alpino de Medic. Ægypti.

Gentium & populorum ingenia historiis,& prouerbiis excogitari.

IVlius Scaligerus vir acutissimi ingenij, Gentium, & populorum naturas tum ex historiis, tum ex prouerbiis atque ex ore vulgi ita excepit. Asianorum luxus, Africanorum perfidia, Europeorum acritas: montani asperi, campestres molliores ac desides: Maritimi prædones mistis tamen moribus: Eadem ratione In-

ſulani quoque ſunt: Indi mobiles, inge-
nioſi, magicæ ſtudioſi, numero fidentes:
Aſſyrii,Syri ſuperſtitioſi: Perſæ,Medi,Ba-
ctriani,Pyrrhi,Scythæ,Sibi,Phryges, Ca-
res,Cappadoces,Armeni, Pāphilij mer-
cenarij, atque aliis bellicoſi: Ægyptij i-
gnaui,molles, ſtolidi, pauidi: Afri acres,
infidi,inquieti: Æthiopes animoſi, perti-
naces,vitæ,mortiſque iuxta contēptores:
Thraces,Miſi,Arabes,Moſchouitæ,Pæo-
nes, Hungari prædones: Illyrii Liburni,
Dalmatæ iactabūdi:Germani fortes,ſim-
plices,animarum prodigi,veri amici,veri-
que hoſtes:Suetij,Noruegij,Grutlandij,
Gotti beluæ: Scoti nō minus: Angli per-
fidi,inflati, feri, contemptores, ſtolidi,a-
mentes,inertes,inhoſpitales,immanes: I-
tali cunctatores,irriſores,factioſi, alieni
ſibi ipſis, bellicoſi, coacti,ſerui vt ne ſer-
uiant, Dei contemptores: Galli ad rem
attēti,mobiles,leues,humani,hoſpitales,
prodigi,lauti,bellicoſi, hoſtiū cōtempto-
res,atque idcirco ſui negligentes, impa-
rati,audaces, cedentes labori, equites o-
mnium longè optimi. Hiſpanis victus a-
ſper domi,alienis menſis largi,alacres,bi-
baces, loquaces,iactabundi, lib. 3. Poe-
tices.

Scara-

Scarabeum, Solis Lunæque coniunctionem viuentibus oſtendere.

MIrabile eſt quod à natura Scarabeus animal notiſſimum edidi cit: omnibus enim ſolis, Lunæque coitum apertè demonſtrat. Hic ex bubulo ſtercore pilulam ab ortu ad occaſum rotando verſans, in orbis imaginem effingit, quam xxviii. diebus peracta humi ſcrobe obruit, ibique tandiu abſcondit, dum Zodiacum Luna ambiens fiat intermeſtris & ſileat, tum foueam aperit, & ſiderum cõiunctionem denuncians nouam prolem edit: hæc etenim eſt iſtius beſtiolæ, nec alia naſcendi origo. Ex Mizaldo j. de Arcan.

Quorundam animalium natura.

BOs eſt conſtans, aſinus piger, equus libidine incenditur, petitque impetuose fæmellam: lupus miteſcere nequit: vulpis inſidioſa, aſtuta, callida: ceruus timidus, formica laborioſa, apis parca, canis gratioſus, ad amicitiam propẽſus: leo ſolitarius, expers ſocietatis, nunquam pabulum externum admittens, tanta vocis magnitudine aut ſonitu, vt ſolo rugitu celerrima animantia proſternat: Vrſa pigerrima, ſolitaria, corpore graui, compa-

cto indistincto: Panthera vehemens, & ad impetus faciendos propensa pernixque dicta, quasi tota fera: Anguis feniculi pastu oculorum lippitudinem curat: Formica temporis hiberni pabulum æstate condit: item fides in canibus, in Elephante mansuetudo: Studium ornatus in Pauone: cura vocis amœnæ suauisque in luscinia. Forcius.

Ceruorum vitam esse longißimam.

OPtabat magnus Alexander posteritati ceruorum vitę longitudinem ostendere, propterea multos capi iussit quibus aureos torques in collo innecti voluit: in iis temporis curriculum erat expressum & Alexandri decretum: illorum aliquot post centum annos ab Alexandri morte capti fuerunt, qui adhuc ætatis senium minimè præ se ferebant. Ex Plinio.

Masculinum fœtum citius in vtero quàm fœmininum animari.

EX omnium ferè Scriptorum opinione marem fœtum, citiùs in vtero, quàm

quàm fœminam animari capitur: aiunt enim marem in dextra parte matricis ex ſemine calidiori concipi: fœmineum verò ex ſemine frigido, ſiue minus calido in ſiniſtra parte matricis, quæ comparatiuè ad alteram frigida eſt. Hinc mas die 40. fœmina verò 80. vel 90. vt plurimum animari dicitur: quod frigidum tardum ſit, & pigrum in ſua operatione, calidum autem velox: idcirco virtutem formatricem in vno ſemine velocius, & citius mẽbra organizare, & formare, quam in alio obſeruamus. Ex Dominico Tholoſano ſuper Leuit. cap. 12.

Pici Mirandulani ingenium quàm maximè collaudatum.

ANgelus Politianus, & plerique alij, Pici Mirandulani & ingenium, & multiplicem doctrinam collaudabant, & miro ordine extollebant: quando (inquit Picus) non eſt, vt hac in re mihi aut meo ingenio velitis blandiri: Quin reſpicite potiùs aſſiduis vigiliis atq. lucubrationibus quàm noſtro ingenio plaudendum, & ſimul aſpicite ſuppellectilem noſtram: atque librorum theſauros oſtende-

bat. Porrò Picus bibliothecam egregio rythmo constructam, atque omnigenis libris ex varia eruditione refertam habebat. Ex Crinito.

In Hydrargiro omnia metallica supernatare, auro excepto.

MErcurij, vel si mauis argenti viui proprietas mirabilis est, quod omnia mineralia ferè vt plumbum, ferrum, æs, & alia ponderosissima (excepto auro) in eo supernatent: aurum autem & fundum petit, & eius recipit colorem, qui ignis tantùm ope absumitur. & in fumum mali odoris resoluitur. Huius nidor, & virulentia nauseam, nocumētumque adstantibus inducit: inde membra stuporem recipiunt, & nerui relaxantur, vt sæpissimè in inauratoribus obseruatur. Ex Lem.

Olei cinnamomi rara & pretiosa compositio, plerisque incognita.

SI cinnamomi oleum ad diuersas infirmitates parare optabimus, capere oportet cinnamomi contriti lib. j. quam

ad

ad instar liquidæ pultis cum oleo amigdalarum dulcium commiscere studebimus, tum demum duodecim dierum spatio in loco tepido clauso vasculo situabimus, postmodum ex torculari totum id exprimatur fortiter: hac etenim methodo oleum, odoris, coloris, & saporis cinnamomi habebimus ad votum. Hoc ad vires reparandas, & valetudinem conseruādam rarum est remedium: prodest parturiētibus. & in stomacho debilitato tam interius quàm exterius vsurpatur, ægritudines frigidas arcet, & in partibus corporis roborandis est tantæ efficaciæ vt vix alterum consimile inueniatur remedium.

Marinum Herinaceum tempestates maritimas præcognoscere.

ADmiranda profectò est Marini Herinacei proprietas: hic paruus pisciculus est, qui mirabiliter tranquillitatis tempore naturali propensione futuram præcognoscit tempestatem. Ea imminēte ita se præparat: saburram facit, lapidē ore percipiens, ne maris fluctus vndæque impetuosæ facilè eum à loco dimouere,

atque huc illuc impellere valeant. Nautæ id aſpicientes futuram tempeſtatem à piſciculo hoc edocti percipiunt, ob id anchoras, & funes, & ſe ipſos parant, vt tempeſtatibus maris reſiſtere poſſint. Ex D. Ambroſio.

Mira cuiuſdam fontis in Epiro proprietas.

ABſcondita eſt nobis & cauſa, & naturæ proprietas illius fontis, qui in Epiro, (vbi Dodonei Iouis templum olim inſtructum erat, qua cauſa hic ſacer dictus eſt) inuenitur. Ille frigidus eſt, & immerſas faces, ſicut cæteri extinguit: cũ autem ſine igne procul admouentur, mirabiliter accendit. Abulẽſis ſuper Geneſ. c. 13. de hoc mentionem facit, aſſeritque huiuſmodi proprietatis cognitionem Adam, & contemporaneis fuiſſe apertam, diluuioque & gentium diſperſione eſſe perditam. Vide Pomponium Melam.

In Hecla ignem emiſſum ſiccis extingui, aqua vero nutriri.

ADmirationem, & fidem omnem ſuperaret, ignem ab aqua nutriri, & non

non extingui intelligere, nisi Georgius Agricola, vir nostræ tempestatis memoria dignus, oculatus adfuisset in Hecla. Narrat hic in Insula Irlandia montem nomine Heclam existere, ex quo ignis emittitur, ut hodie in Vulcano propè Sicilium, Sicaniam dictam, & Puteolis in loco vocato le Fumarole, obseruamus. Ille autem à cæteris dissimilis siccis extinguitur, aqua vero alitur. Ex lib. nostro de Hydron. Natu.

Hominum aliquot subtilioris, plerosque tem grossioris ingenii adesse.

PRopterea Astrologi, & præcipue Albumas. hominum aliquos subtilioris ingenij, aliquos verò grossioris inueniri volunt: quia in eorum natiuitate Mercurius vel bonam vel malam habet posituram. In quorum enim natiuitate Mercurius in domo vel exaltatione Solis fuerit, ij sunt ingenio præditi, si verò fuerit in domo Lunæ nascuntur grossiores. Ptolomeus Propos. 70. in quorum ortu Luna respicit Mercurium, sapientes fieri voluit, contrà autem amentes: quia Luna virtutes naturales infundit, Mercurius

verò rationales: vnde cum virtutes naturales, quibus corpus gubernatur, rationẽ respiciunt, ille nascitur sapiens, cum autem non respiciunt amens. Hac etiam de causa efficitur mentis hebes, & obliuiosus, qui in natiuitate Mercurium habuerit retrogradum, si enim directus fuerit, ingenij celeris fiet. Hanc Astrologi ducunt rationem, quod stellæ non impeditæ suas faciant naturales operationes, oppositum autem si impediuntur. His de causis frequẽter Astrologos vera prognosticare de moribus hominum accidit, non quod ita necessario eueniant, si homo per voluntatem rationis legem magis quam sensus sequi voluerit, sed quia pronus est ad sequendum appetitum sensitiuum in quo Astra influunt. Raphael Maff. in Addit. Bartol. Sybill.

Galenum omnium partium corporis, solum perfectissime inter veteres, morbos curasse.

ERat apud Aegyptios inuiolabile decretum, vt singulis morbis singuli adhiberentur medici: Hinc illorum ocularij, auricularij, & alterius morborum nomen-

nomenclaturæ aliquot vocabantur: arbitrabantur enim fieri non posse, vt vnus omnium curarum disciplinam rectè teneret, quamuis in vna doctus haberetur, vt Baptista Fulgosus lib. 2. adnotauit. Galenus tamen illius temporis inter veteres, naturæ miraculum, omnium corporis humani partium, tanquam sapientissimus, morbos perfectissimè solus curare nouit. In lib. de Part. Art. Med. cap. 2.

Græcos scriptores de Iudæorum monumentis nullibi pertractasse.

ARisteas, cuius hodie libellus extat de translatione septuaginta interpretum, refert Prolomeum Philadelphũ secundum Aegypti Regem post Alexandrum, quæsiuisse ex Demetrio Phalereo, quem ille instruendæ bibliothecæ præfecerat, cur Græci scriptores nullam de historiis & monumentis Iudæorum mentionem fecissent? respondisse autem Demetrium, tentasse quidẽ id facere Theopompum, & Theodectem nobiles in primis scriptores, & quædam ex Iudeorum monumentis inseruisse scriptis suis: sed mox tamen luisse temeritatis pænas: il-

lum enim amentia, hunc cæcitate diuinitus percussum: sed postea mali sui causam agnoscentes, & ex animo dolentes, placato Deo, sanitati esse restitutos. Eusebius lib. 8. De Præpar. Euang.

A Cane rabido demorsum instar Canis latrasse proditum est.

EX corrupta imaginatiua non semel à cane rabido cōmorsi latrare visi sunt: cognouit enim Nicolaus Florentinus quendam, qui à cane rabido morsus, curationē vulneris minimè quæsiuit: exercuit hic per dies 35. negotia sua absque læsione, mane autem sequentis diei è lecto surgens retrò vxorem suam instar canis stetit, cœpitque post eam latrare, dum autem ab illa reprehenderetur, subridens surrexit, idque pluries eadem die repetiuit. Sero corrupta est eius ratio, & die 40. mortuus à morsu illato repertus est.

In Arthritide & Chiragra quandò mors succedat.

RArò mortem in Arthritide & Chiragra timemus: quod in partibus corporis

poris ignobilibus humor resideat: hinc (nouo haud superueniente morbo) tales à mortis periculo vexati doloribus vindicantur. Hos tamen mori compertũ est, quando circa sinistrum pectoris sinum, cui cordis turbinatus mucro subest, humorum colluuies decumbat: atque sinistræ manus digitus annullaris nodum acquirat, ac valde intumescat. ex Lemnio.

Lienem ad corporis turpitudinem maximè valere.

QVanta coloris turpitudine, qui ab infarctu crassorum humorum lienosi dicuntur, existant, in dies obseruamus, non modo in illius obstructionibus, verũ atque Scirrhis, aliisque tumoribus. Hinc iure dicebat Galenus 2. de Natur. Facult. Quibus corpus florescit, his lienem decrescere: ac vice versa, quibus lien crescit, illis corpus tabescere, & vitiosis repleri humoribus. Causa omnium est, quod liẽ ab infarctu factus imbecillis, nequit (facta humorum separatione in Hepate) melancholicum succum ad se attrahere, hinc demissus ille cum sanguine corpo-

ris atro colore ambitum maculat.

Iumenta clitellaria in itinere sibilo & cantu à laboribus subleuari.

MVsicæ concentus sonorique numeri maximè homines delectant, ob id multi & cymbaba, & alia musicæ instrumenta frequentant, vt animus à mæstitiis subleuetur. Hac coniectura obseruatum est, iumenta clitellaria in laboribus & itinere cantu & sibilo alleuari: propterea muliones vt muli cæteraque iumenta clitellaria & sarcinam & alia onera minùs laboriosè sentiant, tintina bulorum torques in illorum collis suspendunt, quorum sonitu huiusmodi valdè delectaquorum sonitu huiusmodi valdè delectari cognouerunt, & perinde refici, & à lassitudine subleuari. Ex Vairo lib. 2. de Fascino.

Maculas nigras in acutis morbis apparentes, exitium præsagire.

INter signa, quæ mortem languentium præsagiunt in febribus acutis, illud maximè obseruatu iudicaui dignũ, quod à Sauanarola multa experientia cõprobatum

batum est. Si enim in facie seu genis ægrorum maculæ nigræ obortæ conspicientur, procul dubio languentis exitium minantur, quippe venenosæ, & pestiferæ materiæ in corpore prædominium redundare arguunt, ex quo mors subsequitur. Has cum obseruasset Sauanarola, ex tali prognostico magnum honorem fuisse consequutum refert.

Acetum ad ictus venenosos epotum plurimum valere.

EX Corneli j Celsi obseruatione acetum ad ictus venenosos valere repertum est: quippe cum puer quidam ab aspide ictus esset, & partim ob ipsum vulnus, partim ob immodicos æstus siti premeretur, cum in locis siccis alium humorem non reperiret, acetum quod fortè secum habebat, ebibit, & liberatus est: conjecturandum est acetum, quamuis refrigerandi vim habeat, habere etiam dissipandi, quo fit, vt terra respersa eo spumet. Propterea eadem vi verisimile est, spissescentem quoque intus humorem hominis ab eo discuti, & sic dari sanitatem. lib. 5. de ictu aspidis.

A quodam piscis genere febrem illicò excitari.

IN Arotan flumine Insulæ Zeilã quoddam piscis genus reperiri referũt, quod manu apprehensum febrem accendat. Equidem pisces illic neutiquam esculenti sunt, licet flumen sit piscosissimum: qui tamen piscem febrium appellatum tetigerit, confestim à febre corripitur, sed quod mirabilius est demisso pisce statim liberatur. Cardanus, & Scalig. in Exercit.

Fœminas in mares fuisse commutatas fabulosum non est.

APud multos auctores ex pluribus obseruationibus notatum reperio fæminas in mares quandoque commutatas fuisse: referam solum quod tempore Ferdinandi I. Regis Neapolis successit. Erat Salerni quidam Ludouicus Guarrea à quo quinque filiæ susceptę sunt, quarũ natu maioribus duabus, alteri Franciscæ, & alteri Carolæ erat nomen. Hæ ambæ cum peruenissent ad decimum quintũ annum in mares mutatæ sunt: iis enim genita-

genitalia membra inſtar marium erupe-runt,mutatoque habitu pro maribus ha-biti ſunt. Franciſcus, & Carolus nuncu-pati. Ex Fulgoſo.

Senectutis incommoda tàm corporis quàm animi numerantur.

QVanta ſint in ſenibus & corporis & animi incommoda, nõ modo à Scri-ptoribus, verùm atque continuâ obſer-uatione experimur: vt iure aſſerere libeat hanc hominis poſtremam ætatis partem miſerrimam iudicari. Mortales enim cum ad ſenectutem perueniunt,cor eorum af-flictum eſt,caput tremulum,ſpiritus lan-guidus,anhelitus fætidus, frons caperata, corpus recuruum : nares mucores deſtil-lant, viſus debilitatur, capilli decidunt, dentes putreſcunt. Inſuper ſenes ſunt i-racundi, inexorabiles, moroſi,nimis cre-duli, raró obliuiſcuntur iniuriarum, lau-dant veteres, præſentia damnant, triſtes ſunt,languidi,iniucundi,& aſperi ſunt a-uari,ſuſpictoſi,oneroſi,difficiles. Ex qui-bus ſenectutẽ ſentinam & cloacã eſſe o-mnium ſordiũ & immunditiarum ætatis noſtræ confitendũ eſt. Ex Laur. Cupero.

Magnum Alexandrum corporis ſudorem habuiſſe redolentem.

ERat Magnus Alexander tam recta corporis ſymmetria, humorum harmonia, & temperamento conſtitutus, vt eius anhelitus odorem balſami expiraret, imò ſudor, quem è corpore emittebat, tanta ſuauitate & fragantia redolebat, vt quoties eius pori recluderentur, gratiſſimis odoribus perfuſus crederetur. Quod autem mirabile, & difficile creditu eſt: cadauer eius tam ſuauiter ſpirabat, vt aromaticis ſpeciebus repletum eſſe iudicauerint. Ex Quinto Curtio, Et lib. noſtro de Hydron. natur.

Diuerſæ quorundam hominum virtutes & ornamenta.

PLerique apud Scriptores tum virtutibus, tum animi magnificentia collaudantur , omnes tamen in paucis earum perfectionem confirmant. Porrò Abſalonis formam , & pulchritudinem extollunt: Robur, & fortitudinem Sampſonis: Sapientiam Salomonis : Agilitatem, & celeritatem Azaelis : Diuitias & opes

Crœ-

Crœſi : Liberalitatem Alexandri : Vigorem & dexteritatem Hectoris : Eloquentiam Homeri : Fortunam Auguſti : Iuſtitiam Traiani : Zelum Ciceronis.

Veterum ruditas, & in ſcribendo varietas.

BArbara equidem, & miſera erat veterum in ſcribendo ruditas, ij enim primò in cinere, deinde in corticibus & foliis arborum, poſtea in lapidibus, mox in lauri foliis, exinde in laminis plumbeis, conſequenter in pergameno, & tanden in papyro ſcribere ſoliti ſunt. Erat præterea illis in modo ſcribendi inſtrumentorum diuerſitas : in petris enim ſtilo ferreo, in foliis penicillo, in cinere digito, in corticibus cultro, in pergameno canna, & in papyro penna ſcribebant. Eorum etiã atramentum varium erat : primùm fuit liquor piſcis illius, quem nos Sepiam appellamus, deinde mororũ ſuccus : ad hęc ex fuligine caminorum, mox ex ſynopica rubrica aut minio, vltimò tandem ex galla, gummi & vitriolo fieri conſueuit. Ex Strabone de Situ Orbis.

In angina præfocatiua pilulæ mirabiles.

APeriam nunc pilulas meas maximæ efficaciæ, quibus in angina præfocatiua à craſſis frigidiſque humoribus exorta, ſemper cũ fælici ſucceſſu vſus ſum. Inter alias obſeruationes, in quibus tale medicamentum libuit experiri, ſucceſſit caſus in R. Pet. de Stephano Archipresbitero Cercelli, qui ferè ſuffocatus erat: quare vocatus anno 1615. vt eius ſaluti conſulerem, cognito morbo, quod ex craſſa & viſcida à capite deſtillatione fieret, pilulas meas in aurora exhibui, non ſine Ioſephi de Simone in medicina doctoris mei collegæ admiratione, qui renuebat quodammodo medicamentum. Erat pilularum compoſitio ex trochiſc. alendahal, & aloes an. Scrup. j. Diagrid. Scrup. Sem. cum ſyrup. de liquiritia, conficitur maſſa. Ex hac plurimæ pilulæ, vt facilius æger deglutiret, confectæ ſunt. His deglutitis iuris cicerum ſubitò cyathum propinare ſoleo, quemadmodum in hoc feci, qui ſine moleſtia euacuauit, & breui delituit dolor & gulæ tumor, benè reſpirauit, benè comedit, & vna die ſanus factus eſt, cum maxima multorum admi-

admiratione & lætitia. His pilulis vſus eſt Galenus ad linguam tumefactam. vt libro 14. Method. med. ſcriptum reliquit.

Capitis noſtri capillos plantarum naturæ maximè aſsimilari.

MAgnam capitis noſtri capilli cum plantis retinent ſimilitudinem, quemadmodum enim plantæ nonnullæ humoris defectu inareſcentes contabeſcunt, aliæ verò alienis naturæ ipſarum humoribus occurſantes pereunt: ſic & capitis noſtri capillis accidit: vel enim ex humiditatis defectu qua nutriuntur, vel ex eiuſdem prauitate corrumpuntur & decidunt. Hinc defluuium & alij capillorum defectus in capite oriuntur. Ex Gal.

Qua via volucrum pennas variis coloribus tingere valeamus.

SI volucrum pennas variis coloribus tingere optabimus: primò illas diligẽter abluere oportet: mox in aqua aluminis decoquere, atque dum calent in aquam croco coloratam, ſi flauas eas cũ

pimus, conijciemus: ſin autem cæruleas, in ſuccum, aut vinum acinorum ſambuci vel ebuli. In diluto floris æris virides fiũt, eodem modo colore minij, atramenti, alteriuſve coloris tinctas habebimus.

Agricolas Filicibus pro frumento conſeruando in horreis vti.

POſtulauit à me Ioannes Berardinus Mazzocca à Vitulano magnæ expectationis adoleſcens ob flagrantem in ſtudia amorem, cuius familiaritas apud me gratiſſima eſt: Cur Agricolæ pro frumento conſeruando filicibus pro ſtragulis in horreis vtantur? Equidem huius ingenium & animi indolem ſæpè demiratus ſum: propterea in re curioſiſſima cõplacere volui. Vtuntur agricolæ filicibus in horreis, vt cerealia à corruptela præſeruent: quippe filix à proprietate generationi obeſt, hinc agri filice pleni reputantur ſteriles. Hinc filix epota necat vermes & ex aluo deijcit: in grauidis necat fœtum, mulieresque reddit ſteriles: quapropter multa ratione agricolæ (licèt tanti arcani ſint ignari) filicibus pro frumentorum ſtragulis vtuntur, quia illorum corruptioni maximè reſiſtunt.

Ter-

Terrestres lumbricos digitorum panaricium sanare.

PAnaritium in latere vnguium accidit, & inter apostemata numeratur, quod tantum inducit doloris, vt patiens, neque diu neque noctu dormire valeat. Pro huius curatione & doloris lenitione multi multa scribunt: ego profectò certissimo experimento multoties comprobaui lũbricos terrestres viuos super panariciũ alligatos, præsertim in principio, mirabiliter apostema compescere & sanare, vt vix diei spatium affectus pertranseat.

Galegæ atque Scordij miram contra luem pestilentem esse efficaciam.

MIrabilẽ obseruamus Galegæ & Scordij esse virtutem contra febres malignas & pestilentes: si quis enim Galegæ folia in acetariis, aut carnium iure semel in die sumpserit, à febre hac tutus & incolumis pręseruabitur. Idem (Galeni testimonio) Scordium efficere probatum est: siquidem ex veterum quorundum monumentis aduersus putredinem, scordium singulare esse remedium traditur,

vt j. de Antid. cap. 12. legimus: nam cum interemptorum cadauera in prælio multos dies insepulta mansissent, quæcunque super scordium fortè fortuna ceciderant, multò minus aliis computruerũt: ea præsertim particula qua scordium attigerant: ob quam rem omnibus persuasum est, tam reptilium venenis quàm noxiis medicamentis quę corpus putrescere faciunt, scordium aduersari. Annibal Camill.

Nodos in infantis vmbilico filiorum numerum haud ostendere.

PLerique ex nodis infantis primò nati filiorum numerum ex eadem matre nasciturum cognoscere profitentur: hoc autem caret ratione. sæpè enim fit, vt illa moriatur, aut casta viuat, vel plures generet filios & pariat quàm nodorum numerus existat: siue plures viros habeat, è quibus cum alio plures, cum alio pauciores filios suscipiat. Propterea certiori ratione asserendum in nodorum vmbilici primi infantis coniectura existimo, fæcundos vteros plerũque plures nodos in infantis parere vmbilico, steriles autem pau-

paucos eosque non ad vnguem distinctos, vt frequens obstetricum obseruatio demonstrat, & vt euentui hæc talia vt plurimum concordare videntur. Ex Carda. 8. de Rer. Var.

Oryalum auem solo aspectu auriginosos homines sanare.

MIrabile est, quod de Oryalo aue circũfertur. Hæc porrò talem dicitur fuisse naturam sortita, vt Ictericum affectum, à quo homines plerunque molestantur, ad se valeat solo oculorum aspectu attrahere: perinde vocatur Ictericus, siue Galgulus à multis, ab Arist. autem in Histor. animal. Coryon. Sed quod mirabilius est, Auriginosus homo ab alite visus sanatur, ales verò moritur.

Homines quandoque solo contuitu Ophtalmiam contrahere.

MVlta obseruatione animaduerti Ophalmiam siue lippitudinis morbum quandoque contagiosum esse, & solo perinde aspectu ab hominibus contrahi. oculi enim tunc adeò perniciosam vim re-

tinent, vt in alios proprium affectum eiaculari valeant. Pulchra ratione hoc Vairus lib. j. de Fasci. quomodo fieri possit disseruit: siquidem animus male affectus suum quoque corpus male habet: ob id, si animus aliquo mœrore aut vitio afficitur, colores corporis etiam immutat: si enim ab inuidia tentatur, pallore & croceo colore corpus inficit. Inde fit etiam, vt inuidia tabescentes si oculos in aliquem liuentes defigunt, animi simul venenum vibrent & quasi virulentis iaculis confodiant. Propterea mirum non est, homines aliquando solo aspectu in lippitudinem incidere, vt Hieronimus Thomasius medicus insignis, (dum ipse Neapoli studiis vacarem) de se ipso testatus est.

Ad lapides renum, & vesicæ frangendos mirabile remedium.

QVidam medicus eruditus ad lapides frangendos tanquam admirandum parauit cibum, cuius efficaciam adeò mirabilem esse cognouit, vt ad lapides expellendos non solum à renibus & vesica, sed etiam ab anulo comedentes, efficacius remedium haud inueniri confessus fuerit.

fuerit. Paratur ex hepate, pulmone, renibus, testiculis cum priapo hirci, quæ cum croco, cinamomo & melle miſcentur, ac iis hirci inteſtina implentur. Doſis ſint duæ, aut tres bucellæ. Res porrò monſtruoſa, ſi vera eſt. Ex Michaeli Paſchal. lib. 1. Method. Med.

Veterum medicorum pro conſeruanda ſanitate collegium.

BAlans Rex potentiſſimus Aſiæ & Syriȩ, qui alter Alexander dictus fuit (vt ex Ariſt. in lib. Secret. Secret. ſiue de Regim. Princip. habetur) medicos præſtantiores ex regionibus Indiæ, Græciæ, Mediæ, ac aliarum mundi partium congregauit, quibus impoſuit vt talem inuenirent medicinam, qua ſi homo vteretur, nec medicis nec alia medicina indigeret, pollicituſque fuit Rex ditiſſimus maximum præmium eſſe daturum. Illi autem pro maturè conſulendo (trium dierum ſpatio poſtulato) collegium iniuere. Mox ad Regem, cum omnes eſſent requiſiti, Sanages Græcus Medicinæ peritiſſimus, qui præter cæteros doctrina & ſcientia rutilabat, omnium conſenſu Regi indica-

uit, quod ſumere quolibet mane aquam bis pleno ore, efficiat, vt homo ſanus perſiſtat, & alia haud indigeat medicina. Hoc profectò à ratione alienum non eſt, vt enim in Arabum Græcorumque antiquiſſimis voluminibus inuenitur, aqua ponderoſitatis ratione ad ſtomachi fundum tendit, auget calorem, & citiùs comprimit & digerit cibos, digeſtionique maximè auxiliatur, cæteriſque membris corporis plurimum conducit. Fabrorũ exẽplo id totum inquiritur, qui in accenſos carbones, modicum aquæ coniiciunt, vt ignis vi maiori accendatur. Idcirco binos aquæ claræ hauſtus mane potare, menſe Iunio præſertim propter choleram reprimendam, multum confert ad ſanitatem conſeruandam. Ex Bartholom. Moles in lib. de Sanit. tuen.

Alexandrum Magnum ſudorem ſanguineum in pugna habuiſſe.

SVdare ſanguinem purum inter admiranda, quæ raro ſuccedũt, numeratur. vt enim in aliquot ſudor ex ſanguinis ichore cruentus corpore malè affecto viſus eſt, & is nequaquam ſine admiratio-

ne &

ne & ſtupore, ita ſi ille ex puro ſanguine ortus fuerit, atque in corpore ſano, vtique maiorem præſtat negotij cauſam inueſtigandi cupiditatem, vt fuſiſſimè à nobis in lib. de Hydronoſa natura olim edito pertractatum eſt. Referam nunc quod Magno Alexandro euenit, dum eſſet in extremo vitæ periculo conſtitutus. Is cũ in pugna quadam de rerum ſumma cum Indis decertaret, ſubſidiarioque milite deſtitueretur, vſque adeo cholera ſuccenſus eſt, vt toto corpore purum ſanguinem deſudauerit, Barbariſque totus igneis flammis ardere viſus ſit. Hoc autem tantum iis terroris ingeſſit, vt ſe Alexandro committere coacti ſint.

Lapathium carnes duras, & vetuſtas, tenerrimas eſuique aptas reddere.

ERat apud veteres Lapathiorum vſus frequentiſſimus. hoc enim illis peculiare eſt, vt carnes & edulia cum his elixata vel ſint dura, vetuſta & coriacea, teneritatem & mollitiem acquirant. Propterea quod cibos concoctu faciles præſtabãt & aluũ emolliebant, à veterum menſis rarò huiuſmodi abfuiſſe legimus.

Cotoneorum ſeminum muccaginem combuſtionibus maximè opitulari.

INter præſtantiſſima auxilia, quæ cõbuſtionibus adhibentur, ſeminum cotoneorum mucilagines retinent principatum. Referam Petri Foreſti in proprio filio experimentum: Ille matri obſequioſus, cum teſtam carbone ignito repletam apportaret, cecidit, & igne oculos combuſſit: Pater autem cum ſemen cotoneorum in aquam roſaceam coniecíſſet, atque muccagine oculos ſæpius abluiſſet, miraculi inſtar puer conualuit abſque combuſtionis veſtigio. Hoc etiam auxilio in ſimilibus caſibus feliciſſimè ſemper vſum fuiſſe idem confirmat. In lib. 6. Obſeru. Med.

Aegyptios per notas, & figuras, ſenſus & rerum memoriam effingere conſueuiſſe.

AEgyptiorum ſcientia, quia inter cæteras præcellentior erat apud veteres, (illa enim ab Abraham originem habuit) idcirco & rudimento & Hieroglíphycis ferè occulta iudicabatur. Si quidem

dem illorum primi per figuras animaliũ (Cornelij Taciti teſtimonio) ſenſus mẽtis effingebant, & antiquiſſima monumenta humanæ memoriæ ſaxis impreſſa cernuntur, & literarum inuentores perhibentur. Hinc in quibuſdam Obeliſcis litteræ reperiuntur, quæ Regum illorum diuitias ac potentiam declarant: per Apis enim ſpeciem mella conficientis Regem oſtendebant. Si quem memorem ſignificare volebant, leporem, aut vulpem auritis auribus, quod ſummi eſſent auditus, & inſignis memoriæ, effingebant: ſi verò malum, crocodillum: ſi velocem vel rem citò factam, accipitrem, quoniam hęc aliarum fermè auium ſit velociſſima: Si inuidum, anguillam, quòd cum piſcibus ſit inſociabilis: ſi iuſtum, oculum: Si liberalem, dextram manum digitis paſſis: Si auarum, iiſdem compreſſis. Per inſtrumenta quædam, & membra humana pleraque ſcribebant. De his vide Pyerium, Diodorum & Strabonem.

Qua methodo peſtilenti tempore à lue nos tueri valeamus.

PReciosa, ac breuis theriaca reperitur, qua homines ab aëre peſtilenti, ad-

iuncto vitæ regimine, præſeruari poſſunt.
Sumuntur caricæ, nuces iuglandes, folia
rutæ, & iuniperi baccæ pondere æquali,
confundantur ſimul, atque cum aceto ro-
ſaceo vel communi diſſoluantur, mox per
pannum colentur, ſuauiterque exprimã-
tur: ſuccus verò, qui percolabit ſeruetur:
vnum enim iſtius cochleare manè ieiuno
ſtomacho ſumptum non ſinit illa die ho-
minem à peſtilentia corripi. Ex Alpha-
no de Peſte.

*Oliuarum oleum vnguium puncturas mi-
rabiliter ſanare.*

IN ſedando dolore vnguium ex pun-
cturis acu vel ferro, atque iis perſanã-
dis nullum remedium oleo oliuarum ſa-
lubrius inuenitur: confiteor multa obſer-
uatione, multiſque experimentis id totũ
comprobaſſe. Honeſta mulier, ac vnicè
dilecta Laura de Otaro mea vxor cariſſi-
ma, non ſemel dum varia ad familiæ or-
namentum acu contexeret, in vnguibus
digitorum puncta eſt, ſimplici tamen o-
leo oliuarum in puncturis collinito, &
dolor confeſtim euanuit, & ſalus intro-
ducta eſt. Ego profectò ſemel punctus

ferri cuspide subter pollicis vngue cum sanguinis effusione subitò ad linimẽtum ex oliuarum oleo, antequam aquam tetigissem, deueni, quo adhibito, dolor desituit, atque vulnus vna breuiter & consolidationem & sanitatem habuit.

Admirandum auxilium ad Vesicæ calculum, quo absque incisione dissoluitur & expurgatur.

INter admiranda auxilia, quæ ad calculosos adhibentur, connumerãdum iudico remedium à doctissimo Horatio Augenio experimento confirmatum in epistolis adductum, quo absque incisione in vesica multorum lapides comminuit & expurgauit. Referam qua via id innotuit. Ægrotabat calculo vesicæ cuiusdam Typographi filius Romæ: post varia assumpta remedia, cùm nullã subsequutam nosset vtilitatem; secari cupidus, de pretio cum Nursino artifice conuenerat: propterea Sacerdotem iussit accersiri, vt sumptis Ecclesiæ Sacramentis, si ex sectione moreretur, animæ fuisset consultum. Religiosus ex societate Iesu, audita confessione, proponit illi pharma-

cum, de quo in se ipso & aliis periculum fecerat: experiri æger voluit, & magna assistentium admiratione sanatus est. Pharmacum ita erat concinnatum. Pulueris Millepedum pręparat. drach. j. ad summũ Scrup. iiij. aquæ vitæ vnc. Sem. iuris cicerum rub. vnc. ix. vel x. capiat æger calidũ, horis quinque ante prandium. Effectus medicamẽti talis fuit. Horarum duarum spatio totus corpus incalescebat, angustiebatur ægrotus, sitiebat, ac ferè loco stare non poterat, aliquãdo circa pubem dolores vrgebant. Vrinæ hora quinta cœperunt crassiores reddi, sed non multæ. Secunda die à pharmaco contingebant eadem, sed vrinæ copiosiores, & crassiores. Tertia sabulum apparuit multum. Septima tandem adeò plenæ sabulo visę sunt, vt rectè quis diceret, eas nihil esse quam sabulum aqua dissolutum, omnia in meliorem statum redigebantur, ita vt, qui proximè incidi debebat, liber ab omni malo nona fuerit die.

Millepedum ad calculos Renum & Vesicæ præparatio.

PRæparantur Millepedes ad Renum, Vesicęque calculos tali modo. Recipe

Asel-

Asellorum quam volueris quantitatem, vinoque albo generoso abluito diligenter, mox in ollam conijcito nouam vitro obductam, lutoque aliquopiam illam incrustato, demum in furno exiccentur, ita vt possit in tenuem puluerem redigi: tum verò affunde vini eiusdem generosi quātum poterunt imbibere, & rursus exiccato, ac tertiò imbibito & exiccato vt supra, quartò verò puluerem irrorato aqua fragarū destillationis, & olei ex Chalcāto Scrup. j. permisceto inuicem, & exiccato rursus: vbi verò sic fuerit exiccatum in tenuissimumque puluerem redactum, seruetur in vase vitreo, aureo vel argenteo. Ex eodem.

Frequentem ficuum esum sudorem parere abominabilem.

Licet ficuum vsus multa hominibus commoda parturiat, nam & eę citissimè nutriunt & impinguant corpora, aluum emolliunt, & per vrinas & per ambitum corporis non pauca excernunt excrementa: tamen earum continuus, & frequens vsus sudorem generat abominabilem, & corporis fœditatem: Indiciū

huius rei est quod illarum esu pediculorum copia innascitur. Hinc apud Rhodiginum lib. 6. Antiquar. lect. Anchimolum & Moschum Sophistas legitur tota vita fuisse hydropotas, ac ficis modò solitos vesci, & tamen robustos extitisse, sed adeò fœtentes, vt propter abominabilem sudorem certatim à balneis excluderentur.

Mulieres eximiam & suauem retinere pinguedinem.

CORpora mulierum suauiori, & maiori fulciũtur pinguedine quam ipsa hominum, quæ profectò ob siccitatis dominium minus humidi & oleositatis retinere videntur. Propterea apud Plutarchum 3. Sympos. 4. habemus, vbi multa cadauera promiscuè erant comburenda, veterum tempestate, semper decem virorum vnum muliebre immisceri solitum: quasi illud vnum tantum suppeditaret pinguedinis, vt cætera faciliùs concremari valuissent.

Astu de-

Astu dæmonum mirabiles in hominum corporibus effectus procreari.

MIrabiles porrò in hominum corporibus Dæmonis astu effectus conspiciuntur, vt quando quis euomat acus, clauos, pilos, ossa magna: vel quod plumæ in lecto sint ingeniosissime cōsertæ: multæ enim de iis obseruationes apud Hieronymum Mengum in Malleo Maleficar. Paul. Grillandum & Delrium reperiuntur. Quomodo autem hæc fieri possint, talis est ratio: aut enim ista sunt Diaboli illusiones, ita quòd ea videantur quæ vera non sunt, siue per actiua naturalia hoc efficientia, siue per acrisiam, siue per aeris condensationem, aut sunt verè, quippe Diabolus inuisibiliter huiusmodi in hominis stomacho intulit, & ex inde visibiliter educit, licèt tam magna videantur, nam & ea diuidere & integrare potest saltem apparenter, eo quòd localiter huiusmodi corpora, & partes eorum ad nutum moueantur, & ad inuicem conglutinentur, Deo non impediente. Summa Syluestrina de Malefic.

Carduum Benedictum ab Hemicrania homines præseruare.

EX India Carduum Benedictum primùm omnium ad Imperatorem Federicum honoris gratia fuisse missum multi historici autumant, quod miris laudibus, ob peculiares eius virtutes planta hæc celebrabatur, & ob id à multis Carduus Sanctus dicitur. Hæc enim venena superat, & confert tum vlceribus, tum vulneribus: est præsentaneum remedium ad pestem, necat vermes & vtero prodest, & in cibo & potu vsurpata ab immenso illo præseruat capitis dolore, quem Hemicraniam vocant. Ex Trago.

Infantes præseruari ab Apoplexia, & Epilepsia sumpto primo syrupo de Cichor. cum Rabar. vel Corallio, aut succo Rutæ.

QVàm sit familiaris pueris & infantibus morbus epilepticus, apud auctores nostros passim legitur: ob id affectus hic vocatur à nonnullis morbus puerilis, siue mater puerorum. Vt autem tùm ab Epilepsia, tùm apoplexia hi præseruari

va-

valeant, multa obſeruatione expertum eſt, iis antequam lac guſtent, in primo ortu præbendo ſyrupum de cichorea cum Rabarbaro ad drach. ij. ab hac lue præſeruari, vt Nicolaus Florentinus fatetur. Arnaldus Villanoua Corallium laudat: nam ſi diligenter tritũ ad Scrup. Sem. infans hauſerit cum lacte, antequã aliquid guſtet, nunquam in Epilepſiam incurrere obſeruauit. Ego quidem Marcello, Hieronymo, & Marco Antonio filiolis meis ſuccum rutæ cum modico auro ad ſcrup. ij. cuilibet dedi, antequam lac guſtarent, & gratia Dei ab Epilepſia immunes exiſtunt. Helionora, quæ nunc ablactatur ferè mortua nata eſt, ſumptoque & ieiunato paruo cochleario ſyrupi de Cichor. cum Rabar. reuixit, & Epilepſiam nunquam adhuc paſſa eſt.

Menſtrualem mulieris ſanguinem contra animalia eſſe venenum.

INter naturæ arcana reponendum eſſe iudicaui, quod à Metrodoro Sceptio traditur de mulieris menſtruali ſanguine. Mulieres ſiquidem ſi menſtruationis ſpatio nudatæ ſegetes ambiunt, erucas,

vermiculos, ſcarabeos, ac alia noxa animalcula decidere faciunt. Tale enim à natura iis virus inditum eſt. Non ſolum autem huiuſmodi animalculis menſtrualis mulierum ſanguis nocere creditur, verum atque grandioribus, quippe canes, ex Plinij teſtimonio, menſtruo ſanguine guſtato in rabiem mutari viſi ſunt, quorum morſus inter difficillimos morſus ſanatu reputatur. At de re hac ſuperiùs alias tractauimus.

Thapſiam veſicas, & œdemata corpori ſuperpoſitam excitare.

MAgna profectò eſt Thapſiæ efficacia in veſicis & œdematibus generandis: idcirco à nonnullis in peſtiferis febribus, vbi veſicantia neceſſaria ſunt, cum felici ſucceſſu vſurpari audio. Cum autem corporis locum aliquem inflare quis deſiderat, vel oſtentationis, vel curioſitatis gratia, ponatur Thapſia in loco conſtituto, ibi enim breui veſicas, & œdemata excitabit: vt tandem citra læſionem id ſuccedat, & breui etiam ſoluantur, theriaca linire, vel cuminum aut acetum ſuperponere oportet. Ex Cardano li. 8. de Variet.

Auri

Auri vſum in medicina pro conſeruanda valetudine mirabilem obtinere proprietatem.

MIrabilis efficaciæ aurum in medicina eſt, quippe innumeras illud pro corporis tuenda ſanitate retinet virtutes. Eius vſus in vino maximè excellit, capiũtur propterea auri lamellæ, quæ ignitæ toties in vino extinguuntur donec ferueat iſtud. mox colatur, & vſui ſeruatur. Vinum hoc potatum ventriculo imbecillo ſuccurrit, concoctionem adiuuat, fœdũ colorem emendat, & principalia membra corroborat & reſarcit. Proinde obſeruatum reperio, cor ab illo roborari, prauos humores calore eius abſumi, vitales ſpiritus clarificari, Hepatique plurimum prodeſſe ſua virtute illius vſum. Multi certiſſimo experimento huiuſmodi vinum vitã prolongare cognouerunt, ſpirituſque ſynceros facere, atque vires totius corporis renouare. Nonnulli leproſis multum cõducere ſcribunt, vt ex Mizaldo, & Zacharia à Puteo capitur. Querceranus Auri folia in aliqua bettonicæ aut abſinthij conſerua commiſta, ac deglutita ſua ſpe-

cifica facultate ventriculum corroborare scripsit.

Aliquot animalia ex naturæ eorum similitudine à Veteribus Diis fuisse dicata.

MAgna erat veterum insania in eorum falsa religione, quippè, & animalibus cultū reddidisse, & infinitis aliis sideribus & naturalibus rebus circumfertur. Inter alia, quædam apud eos animalia erant, siquæ ex naturæ illorum proprietate & similitudine, vt reor, aliquibus Diis reperiuntur fuisse dicata. Hinc Canis Dianæ sacer est, Aquila Ioui, Tygris Baccho, Pauo Iunoni, Leo Cybeli, Equus Neptuno, Cycnus Apollini, Anguis Aesculapio, Coruus Phæbo, Asinus Libero, Gallus Marti, Columba Veneri. Noctua Mineruæ, Lupus Marti, Anser Iunoni, Soli Phænix. Ex Forcio.

Veri Vnicornu proprietas, eiusque cognitio.

VErum Vnicornu, quod in febribus pestiferis propinatur languentibus vtilitate maxima, in syncope maximopere prodesse videtur. Illud autem non ex

eo co-

eo cognoſcitur, quod bullas excitet, vt plerique hominum ignari perſuaſi ſunt, hoc enim quodlibet cornu etiam facit: ſed alia diuerſaque methodo. Hoc eſt præcipuum experimentum: Si ſcobē eius cum arſenico gallinæ, turturi, aut columbæ deuorandū dabimus, ſi ſuperſtes manſerit (vel vnicornu ſtatim poſt arſenicum ſumptum datum fuerit) verum & legitimum Vnicornu pronunciabimus. Alij in aurificis fornacem demittunt, ſi odorem cornu à ſe non emittat, verum eſſe prędicant. Nonnulli experimento referunt, quod in vſtione non omnino comburatur, ſed augeatur potius, minimeque in vſtione fœtorem cornu habeat, vt in cornu ceruino experiri ſolet. Ex Foreſto.

Quo artificio mulierum cinni crocei euadant.

CApillorum cultui mulieres maxime vacant, illud autem iis optabilius eſt vt flauitiem acquirant. Referam modum quo votum aſſequi poſſint. Sumito Rhabarbari fabæ magnitudinem, fœni græci, croci ſylueſtris, liquiritiæ, tabacci, corticū aranciorum quantitatem ad tui libitum,

palcæ triticæ similiter, his quernum cinerem addito, & incoquito, vt tribus digitis descendat aqua, inde lauentur capilli, tanta enim flauitie redundabunt, vt illos aureos esse dicas. Ex Porta in Physiogn. lib. 3.

Ad excitandum in senibus naturalem calorem, eorumque vires deperditas renouandas confectio præstantissima.

THesauris profectò comparanda est confectio illa quæ à Marsilio Ficino in lib. 2. de Vita producenda, Medicina Magorum appellatur. quippe spiritus naturalem, vitalem, & animalem fouet, confirmat, & roborat, & propterea senibus præstantissima est. Constat hæc ex thuris vnc. ij. mirrhæ vnc. j. auri in folia ducti drach. sem. contundere simul tria oportet, atque aureo quodam mero contundere, & in pilulas ducere. Sumitur huius misturæ portiuncula in aurora ieiuno stomacho, in æstate cum aqua rosacea, in hyeme verò cum exiguo meri potu.

Quo-

Quomodo febris in aliquo confestim induci valeat.

SI febrem in aliquo vel ad ostentationẽ, vel ad remedium, curiositatemque inducere optabimus (siquidem in conuulsionibus, paralysi, aliisque frigidis affectibus non parum aliquando febrem excitare profuit) Scarabei cornuti in oleo decoquantur, illoque arteria bracchialis inungatur, tanta enim est eorum potentia, vt confestim febris & accensiones corporis oriantur. Ex Cardano.

A multis animalibus anni tempora praecognosci.

VIdentur profectò pleraque animalia anni tempora præcognoscere: siquidem ex eorum instinctu illa homines cõmentiuntur. Grues enim autumni tempore ad loca calida peruolãt, hyemis frigora fugientes. Hirundines vernali tempestate ad regiones nostras remeant: Ficedulæ, coturnices, aliaque multa volucria in anni temporibus pabula commutare, aliaque loca adire conspiciuntur. Hæc autem non Ver, Autumnum, vel

Hyemem directè præſentiunt, quemadmodum nonnulli falſo ſibi perſuaſi ſunt, ſed verius ex facta alteratione à calido vel frigido in eorum corporibus, ſiue occulta qualitate has viciſſitudines facere cognouerunt.

Amantes ex leuiſſima quidem occaſione ſuccenſere ſolent.

QVi perditè amant leui alioqui momento iraſci videntur, ratio huius rei eſt, quia iniurias licet leues, graues iudicant. Graue ſi quidem exiſtimatur, vt ille iniuriam in te committat, cui maximè placere ſtudeas. Cæterum quemadmodum ſubitò dolet, qui contra ſui habitus propenſionem facere quippiam conatur, ita & amantem facere conſpicimus, mox tamẽ rixarum & odij pœnitet, rurſuſque ſupplex iugum ſubacta ceruice repoſcit. Ex Leonardo Iacchino.

In plenilunio & Nouilunio Pharmaci exhibitionem à Medicis maximè deteſtari.

MVlta ratione à medicis in Plenilunio & Nouilunio pharmacum euitatur,

ratur, ſiquidem Luna cum intermeſtris eſt omnino caret lumine, atque ſub radiis ſolaribus iacta, & proinde ſolita caret humiditate, quo fit vt corpora noſtra magis ſicca maneant, & virtus retentrix robuſtior exiſtat. Idcirco ſi in Nouilunio pharmacum ægris exhibeatur, abſque dubio humores noxios agitabit, atque ob retentricis facultatis inobedientiam parum euacuabit. In Plenilunio ob Lunæ potentiam corpora noſtra valde caleſcunt, humoreſque augentur. Hinc in pleniluniis noctes calidiores eſſe experimur, cuius cauſa, calorem à centro ad circumferētiam attrahi veriſimile eſt: quapropter ſi humores corporis noſtri ad ambitum tendunt, procul dubio pharmacum improbatur, illud enim à circumferentia ad centrum trahit, motumque naturæ peruertit, quo facilè ſuccedit vt virtus lædatur, & humorum euacuatio, vel mala, vel deprauata contingat. **Ex Ioann. de Vit.**

In continuata maſculorum generatione ſeptimum mirabilem habere virtutem.

NIſi apud multos ſcriptores reperiſſem ſeptimum maſculũ continuatæ

generationis mirabilem habere virtutem, inter hæc nostra embammata minimè hoc adiecissem. Volunt enim, quando aliquis septem filios masculos continuatim & inter eos fæminam nullam suscipiat, septimum mirabilem virtutem & strumas & alios plerosque affectus retinere sanandi. An autem verum sit, nescio, cupio tamen à sapientibus experiri.

Fumum Hydrargiri, superposito velamine, in molem Mercurii mutari.

AVrifices dum vasa mineralia inaurare cupiunt, Hydrargiro pro opere moliendo vtuntur, illud autem in igne impositum in fœtorem grauem & fætidas exhalationes resoluitur, perniciosas quidem nisi ab iis cautè euitantur. Quod autem in Hydrargiro mirabile iudicatur est istud: si super illius fumum linteolum extendimus, in quo colligi possit, vtique in argentum viuum fumositas illa iterum conuertitur, & Hydrargirum renouatur. Experimur hoc etiam in carbonum fumositatibus, quæ in crassas fuligines reuertuntur, licet diuersimode ab Hydrargiro. Ex Lemnio.

Facul-

Fæculas Brioniæ in vtero mundificando miram habere virtutem.

SIngularis profectò fæcularum Brioniæ, tum pro matrice mundificanda, tum ad hystericas ipsius passiones sanandas est efficacia, quippe ex multis experimentis comprobatum est in huiusmodi affectibus curandis inter remedia principatum habere. Referam ipsarum cõstructionem. Exprimatur prælo ex Brioniæ concisis radicibus & contusis succus: erit primò turbulentus idcirco in vase aliquo asseruandus est, vt fæcalis materia subsideat: detineatur in loco frigido per paucos dies, in hoc enim spatio (inclinato vasculo, vt turbulenta aqua separetur & proiiciatur) fæces albissimas instar amyli in fundo inueniemus, quas iterum in pluribus vasculis vitreis, aut terreis diuisas in vmbra vt exiccentur seruabimus: ita profectò intra paucas horas exiccabitur, & formam amyli acquiret expressam, quam Brioniç fæculam nominamus. Hac fingi possunt pilulæ x. aut xij. granorum pondere, & cum pauco castorei, vel assæ fætidæ summum & præcipuum paratur remedium contra affectus narratos. Fæ-

O

culæ huiusmodi etiam si dissoluuntur in aqua florum fabarum, pro fuco ad ornatum mulierum paneasque delendas, efficacissimæ sunt. Ex Quercetano Mizaldo, & Zacharia à Puteo.

Millefolium ad consolidanda vulnera miram habere potentiam.

PLuribus experimentis comprobatum audio, Millefolij virtutem ad vulnerũ coitionem, indiesque nouis obseruationibus confirmari. Referam solùm quod ab Hollerio in Chirurg. adnotatur. Cuidam decisus nasus erat, qua os in cartilaginem desinit: Rusticus propendentem partem alteri digitis coniunxit, herbam tusam, & è vino nigro tritam, quod Millefolium appellant, impegit, rudius omnia colligauit, vnde celerrimè restitit sanguis profluens, & vulnus pulchra cicatrice breui coijt.

Chymicam artem veterum tempestate floruisse.

APud Veteres in maximo pretio ars chymica habebatur, proinde à ple-

risqueillius ſtudio vacabatur: ingentes enim diuitiarum copias illa methodo homines componebant, quibus ditiores facti cum Regibus bellum adibãt. Propterea Diocletianum Cæſarẽ legitur, poſtquam Achillem Aegyptiorum Ducem octo menſes in Alexandria obſeſſum profligaſſet, omnes chymicæ artis libros, diligenti ſtudio conquiſitos deflagraſſe: ne reparatis opibus, Romanis facilè repugnarent. Ex Suida, & Oroſio.

Quo artificio corpus glabrum reddi poßit.

LIcèt variis modis corpus depilatum & glabrum reddi poſſit: nulla tamen via præſtantior eſt, Varronis teſtimonio, quàm loca lauare aqua, vbi Bufones decocti ſint, donec ad tertiam redeat, quippe ſi tali decocto corpus lauetur, proculdubio glabrum & ſine pilis habebitur.

Natiuitatis hominum tempora à multis obſeruari.

NOn leuis profectò eſt multorum Scriptorum obſeruatio in hominum natiuitatis tempore. à multis enim obſeruata

ſionibus temperamenta eorum variant, & plerique à naturæ terminis maximè diſtrahuntur. Porro qui in ipſo terræ motus momento naſcuntur, ſemper pauent, in tonitru ſemper languidi ſunt: ardente Cometa ex ardenti complexione amentes fiunt, interlunij tempore debiles euadunt, vel ſaltem (Ariſtotelis teſtimonio) melancholici, & atra bile laborantes.

Hydrargirum non eſſe venenum in pauca ſumptum quantitate, ſed ad vermes necandos exiſtere remedium.

HYdrargyrum, vel ſi mauis argentum viuum, quod à multis venenum exiſtimatur, feliciſſimo ſucceſſu contra vermes exhibetur: tantæque certitudinis illud in Hiſpania reputatur, vt mulieres tenellis pueris, qui lactis vomitu laborãt, ad quantitatem granorum trium in propria ſubſtantia propinare audeant, hac enim via morbus ceſſare videtur frequẽtatis experimentis. Ego quidem viduam mulierem curaui, quæ nouem dierũ ſpatio vomitibus continuis ex vermibus laborauerat, & ferè triduo non comederat,

nec

nec cibum retinere valuerat. Huic cum scrup. ij. hydrargyri mortificati cum tantillo cidonij propinassem, absque vlla molestia per aluum centum & plures emisit vermes, & eadem die liberata est, & solita exercuit domi & foris negotia, magna profectò parentum admiratione, cum prius debilis & emaciata esset. Aliis etiam exhibui, & bono semper euentu, domique continuò aquam habeo, in qua Hydrargyrum infusum retineo, illãque puerulis pro vermibus libentissimè concedo, nec adhuc quempiam ex illo noxiam recepisse expertus sum. Vsus est hoc remedio ad vermes necandos Matthiolus, Horatius Augenius, & plerique alij celebres viri, qui omnes huius auxilij maximè extollunt beneficium. Datur pueris in substantia Scrup. j. grandioribus Scrup. ij. vel drach. j. Corrigitur illud & mortificatur in mortario vitreo cum saccaro rubeo, ibi enim tam diù conteritur, vt in partes inuisibiles dissoluatur: ne autẽ in pristinam formã iterum redeat, olei amigdal. dulc. guttulas binas addere oportet, & cũ saccaro rosl. violato, vel cidoniato ieiuno stomacho lãguẽtibus propinatur. Sciant igitur

curiosi in hac dosi nullum præbere periculum, in maiori tamen non dedi, neque concederem: licet apud Ausonium Epigram. 10. legatur hydrargyrum cõtra medicinas venenosas valere.

Daturæ flores & semen homines in risum concitare.

MIra est Daturæ potentia in fascinãdis, vt ita dicam hominum mẽtibus, adeò quòd qui illius flores vel semẽ sumpserit, à risu cachinnisque non desistat donec mens alienata ex plantæ viribus, in pristinum redeat temperamentum. Apud Indos à furibus Datura vsurpatur, flores enim, vel semen in cibos eorũ quos deprædari volunt exhibent, & in mentis alienationem & in risum concitant: ita profectò furandi parant industriam. Durat illorum risus & mentis error viginti quatuor horarum termino. Ex Garzia ab Horto.

Lupos senio confectos in renibus venenosos generare serpentes.

MAgnum profectò in præsentiarum arcanum aperio, multis hucusque incogni-

cognitum, de luporum natura. Illud eſt cur à Lupis animalia commorſa modò ſanentur, modò autem moriantur? An quod luporum aliqui venenoſi, aliqui verò ſine veneno exiſtant? Equidem Carolus Stephanus lib. 7. ſuæ Agricult. cap. j. ſe obſeruaſſe fatetur in Luporum ſenum renibus, primò ſerpentes vno pede longiores & breuiores, qui temporis ſpatio venenatiſſimi effecti, Lupum enecant. Hac via facilius nobis tribuitur coniectura de Luporum morſibus: Si enim Lupi iuuenes fuerint, animaliaque momorderint ex benigniori eorum natura, mortem haud inferunt, vt multoties obſeruamus, niſi fortè vulnera in principibus corporis fuerint locis, vel tam grandia, vt mori neceſſe ſit. Sin autem ſenio fuerint confecti procul dubio læuiſſimo morſu animalia necabunt, propter peculiare venenum in Lupo delitefcens, quo vſu venit, vt pleraque præmorſa animalium vel moriantur, vel membrum morſum putreſcat, vel ſaltem difficillimè curetur. Ex Gaſp. Bauhino.

Quali artificio ab vxoribus homines masculos filios suscipere valeant.

MVlta à Scriptoribus ad marium generationem adnotata valere reperimus: hæc autem præcipua & veriora esse existimaui. Primò vt homo exerceatur, solidiorique vtatur cibo, atque rariùs concubat, ita enim & calidius & spissiùs semen euadit, fitque prolificum & aptissimum ad marium conceptum. Secundo mater in congressu super latus dextrum recubat, & à coitu confestim super illud conquiescat, siquidem Hippocrates masculos in dexrris, fæminas verò in sinistris generari scripsit. In dextris enim ab Hepate fouetur semen, quod est calidum: in sinistris autem à liene frigido quoquo pacto refrigeratur, & ad fæminarum conceptum præparatur. Tertiò spirantibus Aquilonibus concubant, Austris verò desistant, Aquilo enim ad mares suscipiendos accomodatissimum est, Auster vero ad fæmellas. Capimus huius rei ab ouibus experimentum, quæ si flante Aquilone cõcipiunt, marem ferunt, Austro autem fæminam. Multi, inter quos Cardanus est, ad Marium conceptum Mercurialis masculæ

ſculæ eſum extollunt, hæc duos quaſi coleos pro ſeminibus habet, & ab vtroque coniuge depaſta, marem inducere occulta vi exiſtimatur.

Magnum eſſe in hæc inferiora Lunæ confluxum.

MIrabilis profectò eſt Lunæ vis in hæc inferiora, ipſa enim noctes illuminat, & ſuper humida poteſtatem habet: maris fluxus & refluxus per quadraturas ſuas intentius & remiſſius facit, quippe dum oritur maria intumeſcunt, & in æſtuaria fluunt quouſque ad circulum meridianum illa perueniat: cùm autem ad occaſum inclinat, Oceanus ab æſtuariis refluit in gurgites: quando ſub Orizonte percurrit, mare ad conſueta æſtuaria conuertitur, quoad nocte media meridiei circulum Luna attingat: poſtremò cum ad Orientem tendit Oceanus quoque ad ſolitos alueos regurgitat. Ipſa in Agriculturæ rebus dicitur domina: propterea antiqui gentiles, qui in terræ cultura proficere optabant Lunæ libamina ſpecialiter tuliſſe dicuntur, vocabatur Diana, ſiue latonia virgo, aut plutonia coniux, vel

proserpina.

Leonardi Vairi de Octimestri partu sententiam debilem esse.

SPeculatur Vairus in lib. 2. de Fascino, cur partus octimestris vitalis minimè sit. innuit hic vir alioquin doctus, talem partum non viuere, ob semen imperfectum, quia non datur semen (vt arguit) quod ad illud tempus fætum procreare valeat: sicut in genere tritici quodam est, quod tribus mensibus gignitur, quodam verò, quod nouem mensibus: sed debile est huius fundamentum, quando in Hispania, & Aegypto octimestres partus omnes vitales esse perhibeant. Potior ergò conclusionis ratio requiritur, quam nos alibi tangemus.

Somniorum præsagia à Deo, diuinare, aliquibus hominibus concedi.

NOn omnibus somniorum diuinatio cõcessa videtur, sed quibusdã à Deo ex speciali gratia permittitur. Qui enim somnia, proprio ingenio diuinare intendunt (dempta somniorum interpretatione,

ne,quæ à causis naturalibus innascitur, quorum præsagium ad medicos pertinet,) aut cæcutiunt & delirant, aut dæmonum fallaciis inuoluuntur. Ioseph apud Pharaonem,& Daniel apud Regem Chaldæorum (vt in sacris habemus)quia diuina afflati erant sapientia somnia diuinabant. Propterea ministris suis Pharaonem,audita sui somnij interpretatione,dixisse legitur: Num inuenire poterimus talem virum,qui spiritu Dei plenus sit?& Rex Babylonis adDanielem:Audiui de te,quoniam spiritum Deorum habeas, & scientia intelligentiaque ac sapientia ampliores inuentæ sunt in te. Ex Iauello.

Inter Polypodium,& Cancros magnam inesse antipathiam.

MAxima videtur inter polypodium,& cancros antipathia, eo quod si polypodium super cancrum abieceris viuum, breui spatio tum pedum cortices, tùm vngues ille eijciet: tanta est istius plantæ in illum particularis virulentia & efficacia.Ex Matthiolo.

Pennam Ibidis ſerpentes attonitos reddere.

MIrabilis eſt Ibidis pennarum vis contra ſerpentes, quippe ſi illius penna ad illorum quempiam iniicitur, confeſtim in veſtigio greſſus hæret: admirabilius tamen eſt, quod ſerpens quernis frõdibus contacta moriatur, quare circulatores aſtantibus mirabilia ſæpè protrahere à ratione inconueniens eſſe non debet: multa enim iis ſunt, quæ admiranda iudicantur: quemadmodum eſt, Viperam viſo Fago perterreri: experimento enim probatum eſt, illius ramo ante hoc animal iniecto, veluti attonitum fieri, nec amplius moueri: Hoc etiam euenit ſi arundine leuiſſimè percutitur: Sin verò iterum eâdem vipera incutitur, confirmari videtur, & fugam repentè adire.

Mulieres raró inebriari, crebrò autem ſenes.

COntrariam naturam ſenile corpus & muliebre ſortita ſunt: ob id mulieres raro ab ebrietate corripi aſpicimus, crebro tamen ſenes. Mulier quidem humida eſt, vt à cutis lenitate & ſplendore comperi-

comperimus, senis contra siccus, vt cutis asperitas & squalor confirmat. Mulier ex assiduis purgationibus superfluum exonerat, senex autem ex corporis duritie, superflua non excernit. Mulieris corpus quia variis purgationibus erat deputatũ, pluribus foraminibus fuit consertum, non sic senis corpus: propterea naturales meatus à corporis siccitate, & duritie potius obserantur. Hæc sunt in causa, vt ebrij senes facilè fiant, mulieres verò perquam raro. Nam si à muliere largè vinũ fuerit haustum, illud in magnam mulieris humiditatem incidens, vtique vim suam perdit, dilutiusque fit, & cerebri sedem non petit: nam per varia foramina mulieris illius vapor recurrit, & celeriter eius fortitudo euanescit. In senibus vinũ contrarietatem non recipit: quia corpus illorum siccum est, ob id vinum firmiter adhæret, cerebrumque petit, quia in durioribus membris & aridis (vt ita dicam) exhalatio nulla fit: hinc ab ebrietate facilè capiuntur. Ex Macrobio 7. Saturn.

Qua industria in vrgenti somno quis valeat excitari.

MAgnus Alexander, vt in gerendo imperio occupatior esset, magnum contra somnum excogitauit remedium, quo si quis vtetur, facilè in somni grauitate, excitari valebit. Ille vas æneum prope lectum constituebat, & pilam æneam, siue argenteam manu compressam habebat, brachiumque super vas illud aptè componebat, vt pila in somno elapsa in æneum procideret, & à sonitu excitaretur & surgeret. Mira equidem fuit huius ingenij dexteritas, licèt hæc Alexandri dormitatio potius quàm somnus dici possit. Ex Ammiano Marcellino.

Quibus signis corpora venenata cognosci valeant.

LIcèt venenorum genera multa sint, ex quo difficile sit omnia signa reperire quibus cognosci valeant, afferam tamen qua methodo, corpora quæ venenū sumpserint intelligere possimus. Porrò magna fit in corpore commotio dum quis venenum hauserit, præcipuè si illud

dæ fuerit naturæ. doloribus enim validis atque acutis in ſtomacho & inteſtinis torſionibus languens cruciabitur, præcordiorum ſentiet anguſtiam, fatigabitur vomitu & fluxu ventris, ſudor ſuſcitabitur in fronte cum vultu frigido, color ægri erit pallidus, pulſus debilis, inæqualis, & inordinatus, ſyncope & animi deliquis affligetur. Hæc ſi omnia, vel in maiori parte ſuccedunt, oportet celertimè in ægris vomitum prouocare, vt aſſumptum venenũ eijciatur. Ex Arnal. Villan.

Luem Gallicam non modò homines, ſed Canes etiam inuadere.

TAnta eſt morbi Gallici quandoque immanitas, vt non modò ex vno languente, vel reſpiratione, tactu aut commercio plures homines ea lue polluantur, verùm atque canes, ſi vlcera vel vnguenta infirmi, lingere potuerint. Experientia hoc edocuit. viſus eſt enim quidã Canis Gallica lue captus, qui heri ſui emplaſtra linxerat. Ex obſeruatione Iulij Scaligeri 6. Poet.

Quo termino corporis hominis pulchritudo constitui debeat.

VArij equidem ſunt Scriptores in cõſtituendo termino longitudinis & latitudinis corporis pulchri, inter quos ſententia Ioannis Gorropij in ſua Gigãtomachia magis acceptanda videtur à ſapientibus. colligit ex Homeri decreto lõgitudinem hominis pulchri debere eſſe quatuor cubitorum, latitudinem verò vnius cubiti.

Cyminum hominibus pallidit atem corporis inducere.

MVlta profectò ſunt, quæ vultus colorem hominum deflorare obſeruãtur, ſiquidem panis hordeacei vſus facit homines pallidos, ex Ariſtot. Aquæ lutulentæ potus, vſus ſalitorum, & immoderata Venus valde colorem deturpant: inter ea tamen quæ ex proprietate decolorare putantur, Cymini vſus & olfactus eſt. Duo enim de hoc exempla habentur apud Plin. lib. 20. c. 24. vnum ſectatorum Portij latronis, qui vt illius imitarentur pallorem cymino frequenter vtebantur: al-

alterum est Iulij Vindicis, qui vt Neronem falleret, pallorem sibi cymino conciliabat. Ex Mercuriali de Decorat.

Regem Archelaum maximè Astronomiæ fuisse imperitum.

TAntum esse syderum obseruatio hominibus necessaria iudicatur, vt malè ciuitates, respublicas; hominumque cætus sine illorum obseruatione ij conseruare valeant. Vtique horum ope tempora, annos, menses & horas metimur, & sine his in varia labyrintha inuoluimur. Hoc apertè ille imperitus Astronomiæ Rex Archelaus ostendit, qui (vt viri summæ fidei scriptum reliquerunt) ob Solis Eclypsim cuius causam ignorabat, tanto timore correptus est, vt regiam clauserit, filium totonderit, iudicia è foro sustulerit, & iurisdictionem penitùs intermiserit, vltimum enim orbis diem esse arbitrabatur. Ex Magino.

Miræ gracilitatis quosdam homines fuisse repertos.

EX Æliano, & Atheneo quosdam homines extremæ gracilitatis fuisse col-

ligimus. legitur enim quendam Archeſtratum vatem fuiſſe, qui captus ab hoſtibus tantę gracilitatis repertus eſt, vt cum Lanci apponeretur, pondus vnius oboli habuiſſet, quod incredibile & ferè ridiculum exiſtimatur. Philætas Cous etiam inuentus eſt, quem ex gracilitate vſque adeo inualidum fuiſſe ſcribunt, vt ne à vento deiiceretur, pondera ferrea pedibus & ſoleis geſtare cogeretur.

Anguillas cum Aquilone miram habere ſympathiam.

MIrabilis profectò conſenſus eſt, quem Anguillæ cum Aquilonibus habent ipſis enim ſpirantibus ſex dies ſine cibo & aqua has viuere fertur, cum Auſtris autem diſſentiunt, quippe his flantibus di[...] ſine cibo & aqua illæ viuere non poſſunt. Ex Bodino in Theat.

Aſparagorum vſum corporis facere nitorem.

INter ea quæ nitorem & pulchritudinem corporibus inducere perhibentur, Aſparagorum vſus connumeratur, cu[...]

ius e[...]

ius efficacia à multis in corpore colorando ferè mirabilis iudicatur. Asparagi fœtentem reddunt vrinam,& per illam prauos corporis expurgant humores : ob id mirum non est,si,iis euacuatis,corpus reliquum non modò odoratum reddatur, sed etiam nitidum,& coloratum: quippe ex humorum prauorum congerie & palliditas & deflorescentia nobis innascitur, quibus cessantibus cessat deformitas, & color nitidus exoritur.Ex Auicenna.

Picem cum oleo maximam habere colligantiam.

EX congeneri ferè natura Picem , Resinam,& huiusmodi,magnam cum oleo affinitatem retinere obseruamus : si manus enim pice velresina fœdantur,vtique eas oleum extergit , idque ob colligantiam oritur.Oleum furfur tollit , furfur aqua eluit , aquam demum linteo siccamus. Ex Cardano.

Mularum genus à proprio specie minimè propagari.

MVlas equidem, & monstra consimilia, cpenarere nec suum genus pro pa-

gare obseruamus: id fieri aiunt multi ab improportionato generandi temperamento: veriùs tamen cũ Bodino in Theat. Natur. hoc contingere existimo, ne specierum sit infinita. natura enim infinitatem abhorret. Aristoteles in Syria supra Phœnices mulas parere scripsit, & Theophrastus in Cappadocia illas genus propagare voluit, tamen hoc verisimile haud est. Propterea magis credendum reor, in illis locis Asinarum quoddam genus oriri mulabus consimile potiùs quàm mulas, quarum partus à nostris prodigiosus & funestus esse dicitur, vt Iulius Obseq. in lib. de Prodig. adnotauit.

Leones Sole in Leone peragrante, à febribus molestari.

Mirabile est, quod in Leonum specie contingit, dum Sol Leonis cæleste signum ingreditur: ij enim à febre tertiana in toto sideris spatio excruciantur: adeò quod fateri oportet, talium genus cum hoc sidere antipathiam habere, & tertianam recipere: proinde Leonina à multis hæc febris appellatur, benè iudicantibus Leonum esse peculiarem. Leones hoc

tempo-

tempore tertio quoque die paſcũtur, nec ſemel etiam accidit vt biduum vel triduũ inediam ſufferant. Stercus tunc ſicciſſimum & vrinam fætentem excernunt, vt Ariſtoteles adnotatum reliquit. Aiunt multi hoc à natura forſitan eſſe factum, vt ferociſſimæ beſtiæ quoquo pacto cohiberetur impetus, & à frequentiori rapina coerceretur.

Quo artificio in ſenibus barbas alboſque capillos denigrare valeamus.

REferam notabilem miſturam, qua barba & albi capilli denigrari valeãt. Sumito lixiuij communis quantum volueris, decoque in eo ſaluiæ & lauri folia cum corticibus iuglandium viridium, mox laua, aut ablue madefacta ſpongia: ita enim nigredinem comparabis, quæ diù durabit, & lætaberis effectu. Ex Porta.

Mergum & Anſerem aquaticum in Hydrophobiam plurimum valere.

INter cuncta animalia adnotauit Ariſtoteles Anſerem aquaticum ſolum

non rabire, ob id à multis huius eſum in Hydrophobia maximè celebrari: mirifico autem experimento contra rabìdi canis morſus valere dicitur Mergus, qui in aquis & mari degit, quippe ab Aetio eius eſu Hydrophobos illico aquam efflagitare narratur.

Lacertas miræ magnitudinis apud Indos inueniri.

IN Inſula Sancti Thomæ quædam Lacertæ ſpecies miræ reperitur magnitudinis, quæ admodùm illis gentibus familiaris eſt. In Inſula etiam Capraria, quæ vna è Fortunatis eſt, ingentis magnitudinis hæc animalia cernuntur, habitatores autem pro iis interficiendis, bombardis, ſiue ſcloppettis, aliiſque bellicis inſtrumentis vtuntur. Ex Amato Luſ. in Dioſcor.

In educandis iuuenibus, miram fuiſſe Athenienſium induſtriam.

MOs erat Athenienſium in iuuenum educatione, vt ij cothurnicibus, ſiue qualeis, aut gallis pugnantibus ſtudium impen-

impenderent: Solent enim huiusmodi volucres vsque ad extremam virium defectionem certare. Quo exemplo ad ſubeũda pericula, & vulnera contemnenda inflammabant iuuenes, increpantes, auibus minùs ingenioſos eſſe homines non debere. Ex Solone apud Lucianum.

Serpentum eſum apud Indos frequentari.

IN Cuba Inſula penes Indos, ſerpẽtes noua totius corporis ſpecie ac forma præditi inueniuntur, quippe ſeſquipedis plerunque longitudine exiſtunt, & ex terra & aqua viuunt: Quod autem apud illas nationes mirabilius videtur, in lautioribus menſis horum animalium eſum, tanquam cibum ſapidiſſimum frequentari. Ex Petro Bembo.

Quo artificio Porri caput in miram intumeſcentiam reddere valeamus.

INter Agriculturæ arcana, non infimi momenti methodus eſt, qua porri caput in tumorem magnum reddere poſſimus. Aperiam abſtruſum artificium: Si enim porri caput arũdine, vel ligneo ſtylo

pupugeris, atque raporum vel cucumerum ſemen in foramine occultaueris, procul dubio porri caput in tantum tumorem deueniet, vt id prodigioſum iudicetur. Ex Mizaldo.

Inter Fraxinum, & Serpentes miram adeſſe antipathiam.

FRaxini ſuccus ad ſerpentum morſus mirabili ſucceſſu à medicis vſurpatur nec ſine ratione. hanc enim plantam Serpentes, ex occulta antipathia miro odio inſequuntur, ſiquidem illius vmbras tùm matutinas tùm veſpertinas euitant & lõgiùs aufugiunt. Retulit Plinius lib. 16. cap. 13. ex fraxino experimentum, quod ſi gyrus frondibus fraxini & igne apparatur, in cuius medio ſerpens ſit proiectus, proculdubio ferã in ignem potius, quàm in fraxinum aufugere, tantus eſt horum diſſenſus, & occulta ſerpentum inimicitia.

Virginitatem in mulieribus qua via experiri valeamus.

LApathium maius in aperiendą mulierum virginitate aſtantibus magnã retinet

retinet efficaciam, ſi enim ex huius foliis paratur ſuffumigium , ſiue hæc ſuper ignitos carbones iniiciuntur, vt effument vbi mulierum ſit corona , cum odor ad pudenda mulieris perueniet, illius bonitatem vel malitiam oſtendet : quippè ſi viro copulata fuerit abſque dubio vrinabit;ſin vero fuerit virgo,vrina potiùs conſtringitur quàm emittatur. Idem etiam facere autumant lignum Agalochum, ſiue Xiloaloem,vel ſemen portulacæ,ſi ſuper carbones iniecta adeò effument vt ad pudenda mulieris odor valeat penetrare: mouetur enim in defloratis vrina quantò citiùs,ſecùs verò in virginibus. Ex Porta.

Quomodò ex duabus aquis claris lac effingere illud valeamus quod Virginale vocatur.

LAc illud,quod à pleriſque ob coloris ſimilitudinem,ſiue ex noua origine, Virginale appellatur,ex duabus aquis artificioſè confectis exoritur,ad multa quidem corporis mala vtiliſſimũ. Eius modus talis eſt. Sumito lithargiri in puluerem redacti Vnc. ij. aceti albi vnc. 6. cõmiſta

simul per filtrum lineum destillato, & quam claram habebis. Vt autem alterã componas, sumito Salis gemmæ Vnc. j. Aquæ communis siue pluuialis claræ vnc. 6. misceto simul, & sic binas habebis aquas magni valoris. Cum verò vel ad ostentationem, vel curiositatem siue necessitatem lac Virginale conficere optabis, aquas vtrasque coniunges simul miscendo: ita profectò confestim liquor lacteus suscitabitur qui Virgineus vocatur. Verrucæ in manibus, si hoc lacte per dies aliquot benè confricantur, euanescunt. Impetigines omnesque faciei maculæ, rubores, & ex sole ardores, hoc linimento facillimè curantur.

Castratos, lienem, vel ouorum vitellos duriores, deglutire non posse.

MIrabile est illud, quod in castratis, circa cibum obseruatur: hi enim nec lienem, nec duriores ouorum vitellos deglutire possunt, vt frequentissima apud multos inoleuit experientia. Retulit Bodinus in suo Theat. tales priùs fame se necari pati, quàm lienem vorare posse. Huius rei alia non creditur esse ratio, quã œsopha-

œſophagi iſtorum ex nimia adipe coangustatio & conſtrictio: cum autem lienis ſubſtantia ſpongioſa & flatuoſa ſit, atque in manducatione magis inflctur, facilè ſit vt ij ex œſophagi anguſtia talem cibum deglutire nequeant. Eadem ratio eſt in ouorum vitellis durioribus, qui ex ſubſtantia glutinoſa per anguſtum non facilè tranſeunt.

Spatium humanæ vitæ centum annorum ſecundum Aegyptios compenſari interuallo.

CVrioſa magis quàm veritati conſonans mihi videtur Aegyptiorum aliquot opinio de hominum vitæ menſura, quippe illorum multi qui medicata cadauera ſeruare conſueuerant, ex quadam coniectura à cordis humani pondere deſumpta, in eam deuenere ſententiam, hominis vitam centum annorum ſpatio definiri. Sumebant experimentum in corporibus quæ ſine labe moriebantur. horum enim anniculi duarum drachmarum ponderis cor retinere videbantur, bini quatuor, & ſic in ſingulis annis, quo in anno quinquageſimo homines centum

drachmis cor, in pondere retinere affirmabāt: à quinquagesimo binas drachmas singulis annis decrescere, atque à cordis pondere detrahi minuíve dicebant, & sic in anno centesimo ad primum sui ponderis, secundum istorum coniecturam, cor redibat. Ex Terentio Varrone.

Phlebotomiam ex vena saluatella spleneticis plurimum prodesse.

CVrabat Galenus spleneticum quendam, & cum diù (vt ipse narrat) de illius cura esset sollicitus, atque diligenter remedia quæreret, quadam nocte somniauit se in infirmo de vena saluatella, quæ est inter minimum & anularem manus digitos, sanguinem trahere, quod fecit, & sanatus ille est. Hoc diuinæ bonitati tribuendum existimo, quæ multoties homines per bonos spiritus dirigit, vt ea perficiant quæ ad corporum valetudinem pertinent. Ex Barthol. Sybilla.

Gymnosophistas apud Indos miræ visus & ingenii dexteritatis inueniri.

MIrabile profecto illud est, quod de Gymnosophistis quibusdam apud Indos

dos narratur. Hi enim ab exortu, vſque ad Solis occaſum, oculis contentis candidiſſimi ſyderis orbem intuentur, in globo igneo rimantes ſecreta quædam, areniſque feruentibus perpetem diem alternis pedibus inſiſtunt. Ex Solino.

Quibus auxiliis ſtrumarum materia per vrinas valeat euacuari.

OBſeruatum eſt huiuſmodi præſidiis, ſtrumas ab hominum corporibus euaneſcere. Adhibentur primò infirmis aliquot clyſteria ex ſucco brioniæ & mercurialis oleo & ſale concinnata, quibus patiens tum gelu tum materias viſcidas copioſe purgari videbitur: mox cum oleo amigdalarum dulcium vel mali aurantij coleis, manc diluculo cantharidum præparatarum grana quinque vel ſex, iuxta corporis naturam capiet. Cantharides autem per horas 24. in aceto infundantur, deinde exiccentur & in puluerem reddãtur. Hic enim earum præparationis modus eſt. Huius modi auxiliis ſtrumarum materias, per vrinas euacuari compertum eſt. Obſeruauit hoc Doctor Phyſicus Ioannes Dominicus Donnus, cuius fa-

miliaritas , animique indoles est mihi semper gratissima, mihique tale remediũ communicauit, robustis tamen corporibus solùm adhibendum censeo , ex illius enim experimento,dolores ad instar parturientis circa pectinem tale pręsidium commouere audiui. Aliis etiam modis & auxiliis strumæ curantur: quippe si oleo in quo rana terrestris,talpa , vel lacerta, (vulgo dicitur racano) siue lacerta magna vocata ebullierit, diù strumæ purgato corpore liniantur, absque dubio exiccantur & euanescunt. Hæc animalia viua priùs in oleo suffocantur , tùm ad carniũ ab ossibus separationem ebulliunt , & oleum mirabile ad strumas componitur. Nonnulli ad earum extirpationem causticis vtuntur medicamentis,quorum potentia caro aperitur, & strumæ euacuantur. Componuntur hæc talia ex arsenici sublimati drach. j.lithargiri aur.& aluminis roccæ ana drach. ij. fabarum vstulatarum numero quinque hęc in puluerem redacta cum frumenti farina, acetoque acerrimò miscentur, & fit massa è qua orbiculi vel placentulæ formantur, & exiccantur in Sole,vel furno,admouentur super strumas, & spatio horarum 24. opus persi-

perficiunt.

Alexandri Magni magnanimitas in posteros studiosos.

MVlta ratione Alexander Macedo Magnus dictus est, cum eius excellentia non modò in armis, verùm atque in litteris apparuerit. Ille quidem vt Aristoteles de animalibus historias scriberet, multa liberalitate in posterorum vtilitatem, octingenta auri talenta cum tribus hominum millibus dedit, vt syluas, aluearia, & viuaria omnis generis disquirerent, & opus ab ipso perficeretur. Illi autem per Europam, Africam, & Asiam peragrãtes multa animantium genera ad Aristotelem attulerunt, quarum dissectionibus de vniuersa ferè horum natura acuratissimè Philosophus scribere potuit. Ex Ioanne Bodino.

Mulieres quasdam in oculis Equi effigiem, vel geminas pupillas habere compertum est.

NOn raro quædam mulieres magæ reperiuntur, quæ vt plurimum, ani-

culæ ſunt, hominibus animalibuſque viſu nocentes. Solent hæ in ſingulis oculis, vel geminam habere pupillam (vt Hieronymus Mengus de Arte Exorciſt. adnotauit) vel equi effigiem, quemadmodum nonnullas Pontum incolentes habuiſſe legitur. Referunt ex iſtarum oculis quoſdam emitti radios, qui non ſecus ac iacula & ſagittæ pro hominum cordibus faſcinandis exiſtunt, ita profectò totum perniciosa quadam qualitate corpus inficiunt, breuique vel nullo temporis conſumpto interuallo, homines, bruta, ſegetes, arbores polluunt, & ad interitum ſæpè deducunt.

Sanguinem caninum epotum Hydrophobos curare autumant.

NOn modò Galenus, verùm atque Serapio, & plerique ſapientes ſanguinis canini potu canis rabidi morſum curari teſtantur: quæ autem ſit ratio apud hos non legitur. Referam tamen, quę à Marſilio Ficino in lib. 2. de Vit. Produc. adducitur. Ego opinor (inquit) ſaliuam canis rabidi venenoſam, impreſſam hominis pedi læſo, per venas paulatim ad cor aſcen-

aſcendere more veneni, niſi quid interea diſtrahat. Si igitur interim canis alterius ſanguinem ille biberit, ſanguis ille crudus ad multas horas natat in ſtomacho, velut peregrinus deiiciendus per aluum. Interea caninus ſanguis iſte, ſaliuam caninam ſuperiora membra prenſantem, priuſquã ad præcordia veniat deriuat ad ſtomachum. nam & in canino ſanguine virtus eſt ad ſaliuam canis attrahendam, & in ſaliua viciſſim virtus ad ſimilem ſanguinem proſequendum. Venenum igitur à corde ſemotum, ſanguinique imbibitum in aluo natanti, vnà cum ſanguine per inferiora deducitur, hominemque ita relinquit incolumen.

Corallinam ad puerorum vermes necandos maximè laudari.

COrallinæ, quam plerique moſcum murinum appellant, in puerorũ vermibus necandis mira eſt virtus & efficacia. Hanc circulatores in plateis vendere ſolent, taleque remedium ad lumbricorum internecionem, ſummis laudibus extollunt. Profectò à veritate in hoc negotio haud abſunt: hoc enim cæteris medi-

camentis in re hac accomodatis excellentius est, experimento siquidem comprobatum est non modo lumbricos interficere tale præsidium, verùm atque eadem die cum astantium admiratione expellere, vt iure dixit Matthiolus, quod quandoque visus sit puer, qui ex assumpta huius pulueris drachma centum vermes excreuerit.

Qua industria, labiorum, manuum capitúmque mamillarum citissimè fissuras sanare valeamus.

APeriam electissimum præsidium quo in labiorum, manuum, capitumque mamillarum fissuris felicissimo successu ferè millies vsus sum. Sumito lithargiri argent. mirrhæ, zinziberis an. vnc. j redigantur omnia in puluerem subtiliss & ex cera recenti, melle, & oleo oliuaru ad suffic. fiat vnguentum. Vsus talis est primò liniantur fissurę ex humana saliu mox desuper in tela extensum applic tur vnguentum, ita quidem paucis dieb sanantur.

Rh

Rhabarbarum cidoniatum Vtero gerentes absque periculo aluo exonerare.

IN grauidis mulieribus, cũ grandi morbo affliguntur, magna cautela solent medici medicamenta euacuantia eligere: vel enim haud porrigunt, ne conceptũ disperdant & matrem occidant, vel mitissima & benignissima excogitãt & propinant. Multi Rhabarbarum ob eius caliditatem, & amarulẽtiam recusant: sed perperam quidem, quãdo illud cidonio correptum inter electissima & benignissima connumerari debeat. Referam qua industria à Ludouico Mercato viro celeberrimo præparetur. Sumantur coronea ab interaneis repurgata, & in partes diuisa (sed superstite pellicula, quæ valde est odorata) in aqua donec tabuerint ebulliant: mox per linteum colata, & expressa optimo saccaro coquantur, & dum id fit, adiicies ad lib. j. huius condituræ vnc. j. Rhabarbari. Dosis cuius sit vnc. j. vel j. sem. Aliud cidoniatum componitur, quod est gratius, & absque molestia efficacius euacuat. Diuidatur cidonium, & sublatis seminibus cum folliculis, partium cauitates puluere optimi Rhabar. negligenter.

triti, ad Drach. j. vel j. ſem. aut ij. impleantur, vel ſi affectus poſtulauerit, agarici tātundem, vel foliorum ſenæ, mox vniantur cidonij partes, papyroque inuoluantur, & ligata in clibano vel furnello coquantur ad perfectam coctionem, poſtremò abiectis medicamentis internis, pulpa manducetur. Hoc profectò medicinæ genus ſecurè euacuat, & viſcera omnia corroborat.

Animantium robur animi à ſemine ingenerari.

QVanta ſit ſeminis efficacia in audacia hominibus comparanda, nullo alio medio ſecuriùs cognoſcitur, quam caſtratorum naturam compenſare. Hi profectò ſtatim atque teſtibus priuantur, animi robur amittunt, atque manſueſcūt, ſi quidem & à ſpirituum copia, & calore potiſſimum naſcitur audacia, quæ in teſtium natura valdè ſpongioſa generantur, & ab iis in corpus deferuntur. Ob id Galenus in lib. j. de ſemine, ſemen Soli comparauit, quod ſuo fulgore orbem illuſtrat, iuxtà cuius fulgores ſemen, & ſpirituum & caloris potentia ferè corpus illuſtra-

lustrare admonemur. Hinc Aegyptij sapientissimi, cùm Regem fractum, hebetéque repręsentarę volebant, merito Tiphonem castratum pictabant, bene animaduertentes, nil posse veriùs hominem infirmum ostendere, quam hominem sine semine.

Aegyptiorum aliquot ad Quartanam febrem secreta experimenta.

EX secretis experimentis quæ ad febres quartanas Aegyptiis familiaria sunt, hoc pro selectissimo remedio habent: ægrotis decoctum ex menta paratum ad semilibram calidum cum spolio serpentis puluerizati binis drachmis ante accessionem per horam propinare. Alij cum decocto asari tempore accessionis vomitum procurant cum felici successu. Sunt & nonnulli, qui ante accessionem pilularum drachmam exhibent. Hæ ex agarici, gentianæ, castorei, mirrhæ, rutæ an. drach. ij. piperis longi, calami aromatici croci an. scrup. iv. Theriacæ antiquæ drach. iij. constant, & cum syrupo de granat. dulcib. conficiuntur. Aliis vsitatiùs est exhibere, drach. agarici cum mirrhæ

ſcrupulo diſſolutam in pulegij decocto.
Ex Alpino de Medic. Aegypt.

Aues baccarum taxi eſu nigro colore fieri.

TAxus inter plantas virulentiam habere maximam videtur: qui enim ſub iſtius vmbra dormire audebit, in grauem affectionem incidet. In baccis autem venenum potiſſimum viget, nam à viris comeſtæ, ventris profluuia, atque funeſta pericula mouent: boues illarum vſu moriuntur, quemadmodum & pecora ſi fortè has comederint, Aues verò iſtarum eſu minimè moriuntur, pennarum autem color in nigredinem mutatur.

Chelidonium lapidem miram in epilepſiam habere virtutem.

VIrtus Chelidonij lapidis à pleriſque maximè extollitur, præſentaneum enim Epilepticis reputatur remedium, adeo quod non pauci iſtius vſu, à tanta morbi ferocitate liberati ſunt. Ferunt in Autumni principio, Luna creſcente, hūc lapidem à ventre hirundinis extrahi, & contritum aliquo liquore epilepticis in
potum

potum propinari, quippe facultatem retinere dicitur, tenacem & viscidum humorem qui causa caduci morbi est, exiccandi. Multi, chelidonium non solùm esu, sed etiam sola suspensione, Epilepticos à proprietate sanare contendunt. Ex Lemnio.

Miram inter aspides & Halicacabum inesse antipathiam.

MIrabilem natura inter aspides & halicacabum siue maiorem vesicariam inuenit dissensum, & antipathiam, ij enim si iuxtà huiusmodi plantæ radices quoquo pacto corpora admouerint, tanta stupiditate & somnolentia corripiuntur, vt amplius nequeant excitari.

Aristotelem causis rerum noscendis maximum adhibuisse studium.

ERat Aristoteles adeò causarum rerum cognitionis studiosus, vt difficilè quiesceret nisi ad quæsitum exactum scrutinum deueniret: ob id cum à graui valetudine opprimeretur, atque medicus citra morbi causam pleraque vetaret, fertur

(teſtimonio Polybij) ſic medico dixiſſe, Ne me cures vt bubulcum & foſſorem: ſed prius cauſas ediſſere, & ita præceptis tuis facilè me morigeratum habebis. Cũ autem in Chalcide exularet, atque Euripi, qui inter Aulidem Bœotiæ portum & Eubæam inſulam ſunt anguſti freti, ſepties interdiù noctuque alternis fluctibus ſtato tempore reflucrent, ille maris recurſus excogitans, atque cauſam reddere non valens, tanto mœrore affectus eſt, vt morti occumberet. Ex Iuſtino Martyr.

Infantes à nutricibus mores & temperiem recipere.

INfantes profectò à nutricibus non ſolùm circa temperiem, ſed etiam mores multum recipere videntur: Ob id ſapienter à veteribus, Romulum à Lupa fuiſſe lactatum, proditum eſt, vel hoc finxerint, vel vera narrauerint: fuit enim Romulus ferinis moribus, callidus, fortiſſimus, & incommodi patientiſſimus. At præter hunc, multos à feris enutritos, & educatos legimus: num autem hoc iis ex animi feritate fuerit tributum neſcio. Scribitur Cyrum à Cane fuiſſe nutritum, Telephũ Her-

Herculis filium à Cerua, Peliam Neptuni filium ab equa, Alexandrum Priami à vulpe, Aegiſthum à capra, quorum mores apud Scriptores noti ſunt, vt apertè noſcamus, quid nutrices infantibus afferant. Equidem qui à capra lactantur ſtulti fiunt & ſalaces. & ira hircus eſt, quare ex hac coniectura tales euadere infantes quales fuerint & nutrices comperimus, ſed mores virtutè animi moderari poſſunt.

Quo artificio vitrum diuidere valeamus.

Licet vitrum ſolùm ab adamante, cùm plicabile haud ſit, diuidi inueniatur, tamen alia induſtria etiam compertum eſt illud poſſe diuidi, vt Cardanus recenſuit. Hic eſt modus. Filum ſulphure, & oleo imbue, locum circunda, accende, repete, donec locus optimè caleſcat, mox confeſtim alio filo aqua frigida madefacto circũdato, & vitrum in oleo loco fractum & diuiſum habebis. Ego quidem alio artificio & ſecuriori vitrum diuido, caſuque hoc mihi notuit. Habebam quadam die cyathum vitri, vino ſublimato ſiue aqua vitæ ſemiplenum, ad curioſitatem non-

nullorum amicorum aquam in flammã, accenſa candela reddidi, vt vinum ſublimatum accendi ſolet, conſumpta autem flamma, cyathus in medio diuiſus eſt, atque eo potiſſimùm loco, quem aqua ſupernatans attingebat. Ita ex curioſo experimento vitrum diuidere apud alios amicos non ſemel valui.

Gallinaceum ſtercus à fungorum virulentia homines tueri.

FVngorum malitia ex multorum experimento pleroſque vita priuauit, quia autem homines ab illorum eſu ob luxus abſtinere nequeunt, referam quid à Galeno tanquam arcanum pro iſtorum virulentia extirpanda, ſeu ſuperanda adnotetur. Erat in Myſia medicus, qui homines penè ſuffocatos ab eſu fungorum ad vitam ducebat, remedioque tanquam arcano quodam vtebatur: hunc precibus exorauit, vt tantum auxilium aperiret. Stercus gallinaceum ille adduxit, quo cõtrito ad læuorem vtebatur, & cum oxicrato aut oximelite propinabat infirmis, qui celeriter omnes adiuti ſunt. Hoc vſus fuit mox in quibuſdam Vrbanis Galenus, &

nus,& verum inuenit: nam qui præfocabantur paulò post vomebant pituitosum humorem omninò crassissimum, & exinde plane liberati sunt. Insuper Myfius ille vtebatur huiusmodi præsidio in diutino Coli dolore cum oximelite propinato, vino vel aqua, cum felicissimo successu. ob id Galenus ex Coli longo dolore spasmo correptos, tali remedio quosdam persanauit, nam & hoc colicum dolorem aufert, qui causa spasmi est. Ex Gal. 10. Simplic. cap. 10.

Varia deliramenta à vini potentissimi potu exoriri.

MVlta equidem deliria in iis qui à vino potentissimo inebriantur, secundum humorum in corpore prædominiũ suscitari solent: quippe illorum nonnulli in risum maximum mouentur, aliqui plorant, plerique vociferantur, alij profundissimo somno quiescunt. Refert Alpinus in lib. de medic. Aegypt. mulierem quandam à vini potu largiori ebriam, primo nimis euasisse hilarem, atque in homines lasciuisse, quos complectebatur & osculis tenebat, mox è risu & cantu ad

iram & furias deueniſſe, ex quibus familiares eam pertimentes præcauebant, demum in mæſtitiam, vt defunctos lamentabili voce deploraret, poſtremo à ſomno oppreſſam omnem ebrietatem digeſſiſſe. Cauſa omnium eſt, quia vinum primò calefacit, ſecundò adurit, tertiò refrigerat, ſi potens fuerit & immodeſtè potum. Ego profectò quendam cognoui, qui apud Marchionem primum Sancti Marci dominum meum erat in culina, vt lances vaſaque culinaria in dies collueret, vocabant Iulium Colauentre. Hic epoto vino grandi, quod Beneuento pro domini menſa ferebatur, in tam immanem deuenit ebrietatem vt Demoniacus appareret, os, manuſque extorquebat, in ſe ipſum ſæuiebat, iactabatque membra, & infinita agebat deliramenta. Aulæ Sacerdos ſacris libris accingebatur ad exorcizandum hominem, quando vocatus, ebrium illũ eſſe faſſus ſum, meoque iuſſu ferula, more puerorum, circa nates flagelliſque contactus, breui ebrietatem dereliquit.

Syrium

Syrium inter sidera calidissimæ existerbã-naturæ.

ORiente Syrio, tantum aeris concipitur incendium, vt humana corpora præ ardore languescant: Canes in rabiem trahuntur, furiunt viperæ & serpentes, æstuant maria, aer occultam nocendi qualitatem recipit, semina iacta sub tali sidere minime nascuntur: talis profectò est Syrij natura. Ex lib. 2. de Hydr. natur.

Veterum in nuptis mulieribus varios fuisse mores, & consuetudines.

NOn vna equidem apud Veteres in nuptis fœminis erat consuetudo: quippè consueuerant homines in sinu Persico littoreque Orientali Virgines nobiles nubiles haud deflorare, nisi brachiis margaritarum lineis ornatæ incederent: ob id illæ in magno erant precio. Desiit nunc mos ille, & margaritæ viliùs illic emuntur. Ex Garzia ab Horto. Catullus in nuptiis Pelei & Thetidis aliam notat consuetudinem. Virgo nupta dum prima nocte cum marito erat concubitura, ita tractabatur; ante coitum eius

colli mensura filo circundato mensura-batur, manè hoc repetebant: quòd si latiùs, quàm vt filo comprehenderent, collum inueniebant, defloratam ea nocte censebant: sin vero nihilo maius, integram, aut antea fuisse deuirginatam habebant. Alij, alias habuere consuetudines.

Papauer agreste mirabiliter Pleuriticum morbum sanare.

Licet Galenus papauera, dolores mitigare, atque inter anodyna reponi in multis locis referat, tamen agreste pleuritididem in lib. de remed. parat. facil. cōfessus est persanare. Aperiam quod à monacho empirico mirabili successu in hoc morbo factum vidi. Hic folia, & semina agrestis papaueris in vmbra exiccata secum cōtinuò deferebat, cum autem quis laterali morbo infestabatur, eius consilio sanguinem à brachio secundum canones extrahi curabat, mox decoctum foliorum in brodio pulli colatum, cum drach. j. vel j. semis ipsius papaueris, seminis, capillamētorū, quæ post colaturam addebātur capiebat tepide & ieiuno stomacho. In loco

loco doloris hæc Epithemata adhibebãtur. Parabantur ex puluere roris marini, ſalis, farina & aqua tres placentulæ, quæ ſuper calido latere in firmam ſubſtantiã ducebantur: his locus epithematis inſtar fouebatur, & breui tùm dolor euaneſcebat, tum etiam apoſtema rumpebatur, & infirmus ad ſalutem magna admiratione priſtinam redibat.

Corni plantam, Sanguinariæ, vel Sorbi Hydrophobiam curatam ſuſcitare.

INter rerum admiranda connumeratur aliquot plantarum energia, quæ ſopitam atque curatã in hominibus Hydrophobiam ſuſcitare & renouare conſueuere. Pluries etenim obſeruatum reperio à cane rabino commorſos, ſi plantam corni, vel ſanguinariæ tetigerint ante annum exactum, vel ſub ſorbo dormierint, ineuitabiliter in rabiem incidere. Salius in lib. de affect. part. virus hoc potius à tota ſubſtantia, quàm à temperamenti ratione ſuſcitari prodidit: nec enim à tactu, nec ab vmbra intemperies introduci poteſt. Itaque mirabile eſt ab iis ſopitam rabiem renouari, quod fieri

non posset, nisi cum rabida lue hæ plantæ aliquam haberent antipathiam, cuius alia potior haud adduci poterit ratio ea quam tetigimus, quod huiusmodi à proprietate hoc perficiant.

Qua industria venenum assumptum descendisse ad gibbum Hepatis vel intestina cognoscere valeamus.

ASsumpto veneno, siue clam ab aliquo propinato, nulla maior medicis difficultas exoritur, quam veneni residentiam reperire, vt rite ea adhibeantur præsidia quæ talia oppugnare reperta sunt. Si enim venenum fuerit in stomacho, vomitum proderit excitare, secus autem si transiuerit hepatis regiones. Hic est modus. Ponatur oui vitel. cum albugine cum infirmi lotio in matula: si infra paucas horas nigrescit & fætet, venenum ad Iecoris gibbum peruenit, sin vero rugetur, citrinescat, & non fæteat, intestina haud transiuit. Hinc indicationem corradimus, veneno ad intestina traiecto, non conferre vomitum prouocare. Ex Bayro.

Plan-

Plantas aspectu consimiles, congeneres retinere virtutes.

MVltis experimentis comprobatum reperio, plantas, frutices atque ligna quæ quadam aspectus similitudine conueniunt, congeneres retinere vires. Sic multi medicorum peritissimi loco ligni Guaiaci Buxo vtuntur, loco salsæ parillæ smilace aspera, loco sassafras syluestri fæniculo, pro polypodio filicem eligunt, pro ptissana hordeum, pro mirtho ligustrum, pro ebulo sambucum, pro china radicem nostræ arundinis, pro Rhabarbaro hippolapatum. Hæc enim facie corporeque assimilantur, proinde consimiles vires habere existimantur. Ex lib. nostro de Hydron. Natur.

Inter Arundinem & Filicem magnam inesse antipathiam.

NAturali quodam odio inter se Filix & Arundo dissidere videntur: moritur enim filix quæ ab Arundinum plantis circundatur, & arundo quæ à filicum virgultis: quo ducti experimento agricolæ arundinis folia in colendis agris vomeri-

bus alligant. persuasi ab istorum dissensu, filices ab agris extrudere, & vt audio votum in dies consequuntur.

Apri dentem ad Cynanchen & Pleuritidem mirabiliter valere.

MAgna est efficacia dentis Apri in curanda Cynanche: si enim puluis eius oleo linino excipitur, ac locus affectus tangatur cum pennæ extremitate, ex Arnaldo & Auicenna habetur, hunc morbũ præsentissime curari. In curanda pleuritide non minor est virtus eius: propterea solent practicantes admiscere tum syrupis, tum electuariis huiusmodi dẽtis puluerem, benè noscentes ab occulta & aperta proprietate talem puluerem prodesse, quippè extenuãdi & exiccandi vim habet. De hoc dente mirum scribitur: occiso enim Apro recenter, ipsius dentes adeò feruere referunt, vt capillos admotos nonnunquam comburant. Id accidit, quia Apri calor magnus est: dumque occiditur ira & excitatione feruescit, proinde dentes propter densam substantiam magnam recipiunt caliditatem, cuius indicium spuma est.

Aspa-

Asparagos in arundinetis satos mirabiliter excrescere.

MAximus est inter arundines & asparagos naturalis consensus: idcirco qui asparagos & pulchriores & corpore maiores atque sapidiores habere optabit, hos in arundinetis seminare procurabit, quippe ex naturali sympathia mirum in modum excrescere & germinare animaduertet.

Vtero gerentes esu cotoneorum industrios & acuti ingenij parere filios.

MIrabile est illud quod à multis de cotoneorum proprietate affirmari audio. si enim grauidæ mulieres quàm sæpius cotonea comedere solitæ fuerint, filios & industrios & maximi ingenij parere dicuntur: si quidem cotoneis miram hanc facultatem inesse credunt. Aliud autem mirum in iis reperiri apud Mizaldum legi, grauidas mulieres haud parere, vel saltem difficulter fætum edere, si in cubiculo, quo tempore parturæ fuerint, cotonea seruauerint: credo ex eorum

constringenti odore vel occulta ratione id euenire.

Hederam cum vino miram habere discordiam.

MVltis profectò notissima est antipathia quæ inter hederam & vinum à natura insita est: si enim ex Hederæ trũco cratera componitur in qua vinum dilutum fuerit impositum procul dubio vinum confestim effluens fundetur, aqua vero intus retinebitur, adeo vini impatiẽs hedera existimatur. Hoc ducti experimẽto nonnulli in vinis emendis hæderæ poculis vtuntur: ita equidem num purum vel dilutum vinum existat examinant & cognoscunt.

Volatilium piscium que fæcunditatis, & interitus præsagia.

SOlet in quibusdam annis animantibus quædam peculiaris pestis grassari: hinc fit, vt (si annus valde pluuiosus extiterit) auium, volatilium, bombycum sericeorum, araneorum, erucarum interitũ videamus, piscium verò stirpiumque fertilitatem

litatem & valetudinem. Annus a[illegible] siccus volatibus (apibus exceptis) [illegible] taris iudicatur, piscibus verò perniciosi[illegible] sicut enim in angusto aere, ob impedi[illegible] tam respirationem, suffocamur, viuereque nequimus, ita pisces in angustis aquis conclusi diù vitam agere minimè possunt.

Gallinarum adipem saccharo obuolutam non modò à corruptela præseruari, verùm atque oleum reddere pretiosissimum.

MIra equidem est sacchari virtus in cõseruandis à corruptela adipibus. Cum quadam hyeme Prudentia filia mea gallinarum adipes collegisset, ac saccaro albo benè conuolutas in vasculo reposuisset, æstate subsequenti illud oleo semiplenum reperit, adeò pellucido vt cum ad me deferret, excellentius haud inueniri posse iudicaui. Hoc licet illa pro exornãdis capillis vteretur, tamen pro mitigandis corporis doloribus, pro carnis scabritie tollẽda, aliisque infirmitatibus vtilissimum esse censeo. Quod autem mirabilius iudicaui: adipes illas post multos an-

nos conseruatas eodem colore, atque odore, quo recentes in vasculo fuerunt clausæ, animaduerti. A quodam Chirurgo amico etiam intellexi humanam adipem saccharo conuolutam per longissima tẽpora à carie & rancido præseruàri: quod si ita est, credo in omnibus animantium adipibus id euenire. Quare Magnatum corpora condienda meliùs saccharo impleta quàm aromatibus posse conseruari crederem eò magis, quia hoc præsidio corpora in proprio colore, vt de adipe dixi, persisterent.

Cucumeres naturali odio oleum abhorrere, aquam verò appetere.

INtestina iudicatur discordia quæ inter cucumeres & oleum inest, nam & ij aquam appetere à lege naturæ videntur. Proinde virentes atque è propriis plantis pendentes, si vascula aqua plena subter habuerint, adeò longius extrahũtur, vt aquam insequi ex certitudine existimentur, sin autem oleum sub his fuerit eiectum, proculdubio in se ipsos veluti vncus retrahuntur, si quidem ij olei impatientes in naturali antipathia cognoscun-

cuntur. Ex Matthiolo.

Mandragoram vitibus applantatam vim illis infundere soporiferam.

TAntam habet Mandragora inducendi soporem efficaciam, vt eius poma vel comesta, vel odorata quandoque cataphoram exuscitent. Illud autem mirabile est, vitibus Mandragoram complantatam propriam iis naturam infundere, adeò quod vinum ex huiusmodi confectum soporem bibentibus inducere consueuerit, vt Rhodiginus adnotauit. De Mandragora Iulius Frontinus historiam scripsit Stratagematon 2. Annibal à Carthaginensibus contra Aphros missus fuerat, qui cum sciret gentem illam vini auidam esse, in quibusdam vini doliis, quæ in Castris habebat, Mandragoræ copiam coniecit, inde leui commissò bello ex industria cessit, fugamque simulauit. Barbari occupatis Castris auide medicatum merum cum hausissent, in cataphoram lapsi sunt, & ab Annibale trucidati.

Quomodo Aegyptij mortuorum corpora condire soleant.

DE condiendis mortuorum corporibus, Aegyptiorum ex monumentis multa, tum ab Herodoto tum à Cælio Rhodigino exempla afferũtur. Aegyptij enim mortuos condiunt, atque domi seruant: Agesilai cadauer cera cõditum fuit, vt & Persæ facere solent, Alexandri corpus melle collitum est. Apud Iudæos ex Myrrha & Aloe cadauera condiebantur, vt apud Ioannem Euangelistam cap. 19. legimus: quippe Nicodemus Myrrhæ & Aloes ad libras fermè centum mifturam fecit pro corpore Iesu Saluatoris nostri condiendo. Maporum erat mos non humare suorum corpora nisi à feris ante laniata forent. Assyriorum Regum sepulchra in paludibus condita fuisse tradunt.

Mellis vsum vitæ hominibus inducere diuturnitatem.

INenarrabili quidem potentia mel, corpora vt à corruptione custodire valeret, à natura productum est: propterea Plinius l.20: maximè huius virtutem admiratur,

miratur, Claudioque Cæſari Hippocentaurum ex Aegypto in melle allatum, vt citra cariem eſſet commendauit, nam & hoc corpora computreſcere non ſinit, ſi quidem multi ſenium longum mulſi tantũ intinctu tolerauere. Celebre eſt mellis exemplum in Pollione, qui centeſimum annum exceſſit: hic enim ab Auguſto interrogatus qua ratione & animi & corporis vigorem maximè cuſtodiſſet, hoc reſpondiſſe fertur, Melle intus, foris oleo. Proditur etiam Corſicæ inſulæ populos ex aſſiduo mellis vſu vitæ acquirere diuturnitatem, cuius rei licet Diodorus non comprobet exemplum, eo quod mel corſicum peſſimum cenſeat, tamen non per hoc vſum mellis ad vitæ productionem improbauit.

Gallinas oua parere quolibet anni tempore ſi ſemina Vrticæ, Vel Cannabis in cibis habuerint.

SCripſit Ariſtoteles 6. de Hiſtor. animal. cap. j. Gallinas toto anno oua parere, exceptis duobus menſibus brumalibus. Hoc tamen tempore, quo à fætura deſiſtunt, ſeminis vrticæ & cannabis au-

xilio faciliter gallinæ fæcundantur: ſi enim in cibis iſtorum ſemina ſicca comederint, procul dubio tota hyemis tempeſtate non modo calidis temporibus oua parient. Hæc profectò earum corpora calefaciunt, & ad fæcunditatem diſponunt.

Caryophillatam infantium maculas è corpore extricare.

SOlent tenella infantium corpora, dum in vtero exiſtunt materno, maculis quibuſdam næuis, lituris, verrucisque quæ à matris imaginatione fiunt commaculari: hæc porrò quaſi ſigilla imprimuntur, & difficulter poſt ortum elui poſſunt. Pro iis delendis principatum habet Caryophillata, cuius vis & potentia in huiuſmodi maculis extricandis mirabilis iudicatur: Sumitur enim planta hæc cum ſuis radicibus in fine Menſis Maij, quo tempore virtus vigorioſior eſt, atque à terreſtreitate emundata in alembicco deſtillatur, mox ex aqua ſtillata ſi infantium lituræ, maculæque ſępius lauantur, abſque dubio euaneſcunt.

Vr-

Vrticæ folia in lotio infirmi custodita, vitam, vel interitum præsagire.

MIra equidem ex abdito naturæ scrutinio in vita morteque infirmi præsagienda vrticæ virtus & potentia est. Si enim recens planta extirpatur, ac 24. horarum spatio in ægri lotio asseruatur, vtique si viridis colore permanebit, & multorum experimentis, salutem, & vitam infirmi significare dicitur: sin autem haud viridis custoditur coloremque mutabit, mortem vel graue periculum denotare. Ex Castore Durante.

Philomenam auem miro consensu à vipera depasci.

AVis Philomena ex cantu dulcissimo omnibus cognita est, incognitus autem eius consensus est, quo à Vipera depasci permittit. dum enim sub arbore, in qua cantans auis fuerit, viperam viderit, paulatim ex illa descendit, & ad viperam accedit, vt illi sit esca. Ex Thoma Tomai.

Castoreum si à Canibus inuaditur, minimè testiculos sibi amputare.

PLinius, Solinus, & grauissimorum Scriptorum multi, Castoreum sibi testiculos amputare referunt, quoties venatores ipsum canibus aggrediuntur, quasi conscius existat quòd iis recisis à mortis periculo sit ereptus: si quidem venatores hæc insequuntur animalia, vt ex his accipiant quod ad medicinam vsurpatur. Rei autem veritate hi omnes grauiter errant, quippe Castorei testiculi iuxtà spinam inclusi sunt; vt in multis ex anatome obseruatum est. Istorum error ex vesicis quibusdam ortus est, quæ in vtroque masculo & fæmina loco testiculorum pendent flauo plenæ liquore, ad medicinam vsurpatæ. Has vocant Castoreum aromatarij, testiculi autem minimè sunt.

Quo artificio militiæ Duces vt hostes offendant, ignem missilem perniciosum componere valeant.

APeriam potentissimi ignis missilis siue artificiati compositionem, cuius ptoentia tanta est, vt eius minima stilla non

non modò hominem viuum verum a
ferrum comburere valeat. Sumuntu
daracæ factitiæ lib. 10. sulphuris viui
4. olei è rasa siue ex adipe Alburni stillati lib. 2. salis nitri lib. j. sem Thuris lib. j. camphoræ vnc. 6. vini sublimati siue aquę vitæ optimæ vnc. 14. Omnia hæc lento igne bene misceantur: deinde stupa obuoluta atque accensa in ollis in hostes iniiciuntur. Ignis hic infernalis dicitur, tum ex eo quod mirabilia agat, tum ex Paracelsi impij testimonio, qui retulit se à quodam Dæmone fuisse hunc ignem edoctum.

Demosthenem linguæ duritiem quibusdam lapillis confregisse.

DEmetrius Phalereus alloquutus cum Demosthene oratore facundissimo, quomodo sibi curasset linguæ impedimenta sciscitatus est. Habebat enim ille linguam duram & scabram, & perinde ad oratoriam exercitationem impotentissimam. Sanatam atque laxatam fuisse linguam respondit ex nonnullis lapillis ore retentis, quibus loqui conabatur. Cuius Demosthenes præsidium difficilem ha-

bentibus loquutionem saluberrimum iubentibus ... dico, vt expeditius sermocinari valeant.
Ex Plutarcho.

Vinum quoddam à Serpētibus venenatum plerosque à difficillimis morbis consanasse.

MIrabilis est historia quæ à Prospero Alpino lib.4.de Medic.Method. de vino à Serpentibus venenato affertur. In cella vinaria quidam ciuis Ferrariæ inter alia vini dolium habebat, quod sine operculo diù apertum extiterat, & perinde complures Serpentes, quos vulgus angues & anzas appellãt, ingressi in vinum, in eo suffocati & putrefacti fuerant. Multi Ægroti ex febribus chronicis atque difficillimis vexati morbis, ignari quod Serpentes in eo mortui essent, vinum illud à ciue emebant, quod gustui gratum iudicabant, & breui sanati sunt. Alij ab huius vini fama suasi, cum paucos dies bibissent itidem sanati sunt, & post hos alij itidem eodem modo ferè innumeri. Quare vini dominus tantæ vini facultatis admiratus, vinum è dolio totum eduxit, & serpentes complures semiputridos inue-

inuenit, qui rem manifestam planè fecerunt.

Veteres Equorum lachrymas inter Auguria recepisse.

MAgni faciebant Veteres Equorum lachrymas, atque ex iis augurium vanissimum recipiebant: Propterea antè Cæsaris mortem ad Rubiconem Equi dedicati ab eo flebant, idque magno augurio exceptum est. Illorum autem inanitas siue ruditas, vt ita loquar, manifestissima nobis est, siquidem tempestate nostra sępius Equos collachrymantes aspicimus, nec perinde ex iis alicui sinistri quid accidere obseruamus. Vt ipse nō semel expertus sum, æstate potissimum Equos lachrymari conspexi, idcirco vel illorum naturam esse vel morbum iudicaui.

Croci metallorum compositio.

AFferam Quercetani, Croci metallorum compositionem, qui potēs medicamentum tam vomitiuum, quàm purgatiuum simul est, variisque affectibus accommodatum. Præparatur cum æquis

partibus Magnesiæ saturninæ,& Nitri inuicem mixtis, & inflammatis in quodam Crusibulo,vt vtar artis vocabulis, & remanebit quędam materia calcinata in colore Hepatis,quæ pulueriżata rubicūda apparet instar croci Martis, quæque dulcoranda est. Dosis grana x.vel xij.cum vino,aut alio liquore.

Hominis compositionis mirabilia.

INter mirabilia, quæ in hominis compositione contingunt, illud quidem mirum est,quod tali corporis sit collatus proportione, vt partes omnes peræque toti composito correspondeant. Licet autem in eius statura nec certa, nec determinata reperiatur mensura,(ex hominibus enim aliqui breues, aliqui longi sunt) sapiētes nihilominus perfectiorem hominis staturam è sex pedibus constare iudicauerunt,vel quod saltem septem nō transcendat. Inter proportiones voluit Vitruuius cubitum quartam partem totius corporis existere,eandemque mensuram esse à capitis vertice ad pectoris initium.Manus longitudo à coniunctione ad medij digiti extremū corporis decima

par

pars est. Facies à capillorum radicibus ad extremum barbæ eadem est mensura. Maior pollicis coniunctio, oris est altitudo. Tota manus totius faciei mensura est. Maior Indicis coniunctio frontis est altitudo, à ciliis scilicet ad capillorum radices, cæteræ autem istius coniunctiones Nasi longitudinem ostendunt. Hominis profunditas si sub brachiis, pectore & humeris mensuratur, staturæ illius medietas reperitur. Cæteræ partes cum aliis habent rationem, vt superius tetigimus.

Aspidum naturam mirabilem esse.

INter terrestria animalia, Aspidum natura mirabilis iudicatur. Ex his enim mas & fæmina insimul vitam agunt, tantusque amoris affectus inter ambos ingenitur, vt si casu illorum alter occiditur, viuens occisorem insequi, quousque socij vlciscatur haud desinat. Quod autem mirabilius est, ex Plinij & Isidori testimonio, occulta proprietate occisorem noscit (talem iis natura indidit) in quem irruit, licet in quantouis hominum agmine reperiatur. Præceptum ergo omnis-

bus esse velim, vt occiso istorum anima-
lium quopiam celeri fuga iter occisor ar-
ripiat, ne à compare animali venenosissi-
mo infestetur.

Lepores omnes haud esse hermaphroditos contra Veterum opinionem.

OMnes Lepores vtriusque sexus exi-
stere voluerunt Veteres, quod & M.
Varro etiam tradidit. Error tamen est, vt
diuturna docuit experientia, qua mascu-
los à fæminis sexu esse discretos cogni-
tum est. Porrò tantorum inscitia, ab hoc
vt reor orta est, quia in Leporum genere
sæpius, quam in aliis animantibus Her-
maproditos reperimus: inde Hebræi na-
turæ arcana intimiùs subodorantes, Le-
porem fæminino vocabulo semper ex-
planarunt, ARNEBETH, Eò quod in
iis fœmineus sexus præualet magis. Rei
veritate non omnes hermaphroditi sunt,
vt ex peritissimis venatoribus audiui, at-
que ex sectione multorum cognoui, sicut
etiam Bodinus edoctus fuit, vt in Theat.
cõfitetur. Equidem Hermaphroditi plu-
rimi sunt, sed fæcunditatem fæminarum
minime retinent, nec mares vnquam v-

tere

tero gerunt, nec minus superfætant.

Mirabilem esse Imaginationis potentiam.

IN vtero gerentibus imaginationis potentia aperte cognoscitur: Si enim illę inter virorum amplexus & suauia aliquid intensè cogitauerint, facilè in infantium corporis externis partibus imaginata imprimunt. Hinc variæ rerum formæ næui, lituræ, verrucæ, & alia signa in infantibus impressa conspicimus. Hinc multæ ex Leporum obtutu fætus edunt scisso labello: aliæ simis naribus, ore distorto, vultu monstruoso, labris turpe prominentibus, corpore difformi, oculisque horrendis infantes generant, quia conceptus vel grauidationis tempore, turpia, monstruosa, & horribilia fixa cogitatione excogitarunt. Fæminis idcirco, præsertim nuptis, pulchras imagines domi habere consulerem, atque à turpibus abesse, ne præuia imaginatione fætus monstruosos turpesque concipiant.

Veteres Climactericos annos admodùm timuisse.

ANni Climacterici non paruæ æstimationis apud Astronomos exiſtũt,

& re vera videtur in quolibet anni ſeptē-
nario quædam hominis mutatio, adeò
quod ſicuti in morbis dies criticos time-
mus, ita in vita hominum annos Clima-
ctericos, qui à multis ſcalares dicuntur,
quod gradatim eueniant. Sunt hi anni 7.
14.21.28.35 42.49. 56.63.70.77.81.91. Inter
hos annos 49.63. magis periculoſos cre-
dunt, quia conſtant è ſeptennario dupli-
ci, & nouennario complicato, obſerua-
tumque à grauibus auctoribus reperio,
maiorem hominum partem in anno 63.
mori contingere. Idcirco hos veteres ad-
modum pertimebāt, & vt capitur in Gel-
lio lib.15. Auguſtus ita ſcripſit ad Caium
nepotem, Spero te lætum & beneuolum
celebraſſe quartum & ſexageſimum an-
num natalem meum: nam vt vides Cli-
mactericum communem ſeniorum om-
nium tertium & ſexageſimum annum
euaſimus. De his tractatum edidit Ioſe-
phus de Roſſi à Sulmona vtilem & iu-
cundum.

*A Mundi primordiis inter homines & ſer-
pentes antipathiam inſurrexiſſe.*

IRreconciliabile odium eſt, quod in-
ter homines, & ſerpentes cadit, adeo,
quòd

quòd expauescit homo si serpentem inuenit, aut videt, magis autem fœmina, siquidem obseruatum audio grauidam mulierem (viso serpente) præ timore abortire. Huius discordiæ illa ratio potissima est, quod à mundi primordiis inter hanc, & illum sit statuta inimicitia, & irreparabile odium: quo altera alteram speciem insequatur.

Carolum VI. Francorum Regem Ceruum alatum pro insigni primo habuisse.

SIluanectum Rex Carolus venãdi causa se contulerat, canum latratibus excitatus in fugam Ceruus æneam torquẽ collo gerere visus est, quem venabulis aut ferro appeti Rex prohibens, in casses & retia compellit. Erat in torque latinis literis inscriptum, Hoc me Cæsar donauit. Ex eo tempore Carolus Ceruum alatum pro insigni habuit, & alij regibus insigniis (quæ liliis aureis tribus constant) circa latera, Ceruos duos apponere consueuerunt. Gaguinus in vita Caroli. VI. Franc. Reg.

Inter animantia consensum, & discordiam inesse.

NVlli dubium, inter animantia sympathiam & antipathiam esse, inter sapientes subditur, siquidem mustelam miro eiulatu in bufonis os deuorandam introire legimus, & bufonem in serpentis, bottæ vocati, os ingredi. Insuper Cicutam sturno esse cibum, homini verò venenum in dies obseruamus: atque veratrum coturnices nutrire, hominem autem lædere non estambiguum.

Senatorem quendam, ex coniuge liberos surdos & mutos suscepisse omnes.

INter naturæ rerum mirabilia est, liberos omnes ex coniuge & viro surdos & mutos suscipi: ita quidem à Fernelio obseruatum est in quodam Senatore. Credidit Ambianus huius rei obscuram & cæcam esse rationem: mihi autem altera subest, quæ à physicis minimè differt: siquidem auditio grauis atque surditas, quę à natalibus visa fit, à conformationis vitio exoriens, hæreditarios morbos generare creditur, & perinde liberos

ex huiuſmodi vitioſis ſurdos & mutos excitari,ſæpè autem non in filiis, ſed in nepotibus hæc lues oriri videtur.

Apud Garamantes mirabilem fontem obſeruari.

ADmiranda profectò eſt fontis illius proprietas, qui in oppido Debris apud Garamantes reperitur. Hic enim die friget,nocte vero æſtuat:adeo quod memoratu incredibile videtur,quomodò in tam breui temporis ſpatio,tantam natura ſui faciat varietatem. Equidem, qui nocte fontem aſpicit,ibi flammas, igneſque æternos exiſtere credit: qui autem die hyemales ſpectat ſcatebras, vtique fontem perpetuo rigere exiſtimat. Propterea Debris apud mundi nationes inclyta eſt: eius enim aquæ qualitatem ex cœleſti vertigine mutare conſpiciuntur. Ex Solino.

Quo artificio Caminus per ſuperiorē apicem ſolum fumum emittere valeat.

IN Caminorum ſtructura,non modicū ſufferimus laboris, ne ignis fumoſita-

tes in nos ipsos erumpant : siquidem in
ventorum mutatione facilè fit vt fumi
quandoque potius descendant,quàm ad
apicem ascendant:ventorum enim vis il-
los deprimit, descendereque per cami-
num cogit.Ego tale ad fumi sursum im-
pulsionem excogitaui artificium. Strua-
tur Caminus cuius superius fastigium
rotundum sit, ibique foramen lapidibus
fictilibus constructum sit : mox ahenum
instar timpani ex ære in cuius latere fe-
nestrella extracta sit super lapides affi-
gito, stilisque ferreis subcingito,ita tamē
vt intus vagari mouerique commode
possit,apta demum super ferreos stilos,
& lebetem ex ære insuper vexillū quod
fenestrellam sub se è directo habeat, ta-
lique industria,vt in quolibet vexilli mo-
tu,moueatur & caldarium in gyrum , ita
profecto è fenestrella ventis opposita
fumus erumpet,& non descendet. Ple-
rique vt spero huic nostro scrutinio me-
liorem addent structuram , meamque o-
pinionem non aspernabuntur.

Ad construendum celerrime Horologium Vmbratile in pariete.

IN construendis, pingendisque solaribus Horologiis, non modo Lineã meridianam opus est inuenire, vt horarum tempus fidele reperiamus, verum atque ortum, & occasum, boream, & austrum, tum Æquinoctia, & solstitia: in iis enim solaris motus quam maximè variat. Ego quidem, vt labores fugiamus tale excogitaui artificium. Globum planum ex tabula lignea formato, in cuius medio stilus ferreus situs sit, diuidito mox globum lineis, ex centro ad extremũ illius ducẽdo, in 24. portiones: demum in globi apice horas signato, & vltimo in pariete contra Solis radios affigito. Vt autem ex Solaribus vmbris diei horas venari possis, Horologium portatile aspicito, globumque ad horam illam accommodato: ita profectò, absque alio auxilio celerrime Horologium vmbratile in pariete habebis: In Æquinoctiis, & Solstitiis eodem portatilis Horologij auxilio facillimè ad horarum ęqualitatẽm globum reducere poterimus.

Infantium pituitam è capite fluentem, quo artificio Chartaginenſes ſiſtere procurauerint.

EX infantium pituita in capite redũdante, plerique ſuccedunt morbi, inter alios, morbus comitialis exoritur, qui à multis puerilis vocatur, quod iis vt plurimum eueniat. Vt autem infantes ab huiuſmodi præſeruarent Pœni, illorũ venas capitis lana ſuccida inurere, pituitamque fluentem hoc præſidio compeſcere conſueuerunt. Æthiopes infantes editos ab ipſo quoque natali die in frõte adurunt, ita profecto tum capitis, tum oculorum humor ſiſtitur. Apud inſubres ex teſtimonio Mercurialis, & pleroſque populos, vt ſcribit Scipio Mercurius editos infantes ſetone in collo muniunt, quod ſalutare experti ſunt aduerſus morbos qui à capite fluunt.

Imminentis pluuiæ quæ potiora ſindicentur præſagia.

PLuuiam imminentem tum ex Gallorum cantu intempeſtiuo, tum ex frequenti cornicis crocitatione multi prædicunt.

dicunt. His autem addendum puto, muſcas (ea imminente) pulices, pleraque animalcula à furore vexari, intenſiuſque mordere: hæc enim à vaporum in aerem eleuatione à radiis ſolaribus perturbantur. Inſuper (pluuia imminente) odoris fragantia in floribus ſentitur: Apes ad aluearia redeunt: Buſones vermeſque è terra aſcendunt: Bruina viſa eſt per dies præcedentes, Catti, manibus caput, quaſi linientes comprimunt, Oues capita commouent, Aſini humiles habent aures, ſtercora fumant maleque olent. Horum omnium ratio, vapores à Sole ex humidis ſublati ſunt: proinde animalia cerebra humida habentia, nonnulla magis exto r quentur.

Vinum à Veteribus fuiſſe mulieribus interdictum.

MAgna fuit Veterum à vini vſu abſtinentia: illud autem adeo mulieribus erat interdictum, vt capitale iudiciũ iniret, quæ vinum biberet. Porrò inoleuit conſuetudo, vt cognati, & affines, mulieres oſcularentur, ore explorantes, an eæ vinum bibiſſent. Idem vſus Maſſi-

liensibus, Milesiis, pluribusque Grecorũ & Barbarorum gentibus inualuit, apud quos mulieres hydropotæ, & viri erant abstemij. Inter memoranda illorum tẽporum, Egnatius Metellus, vxorem, quod vinum biberet, fuste necasse dicitur.

Quo artificio è plumbo Antimonij flores extrahere valeamus.

APeriam artem, qua flores Antimonij siue Stibij non semel extrahere à plumbo valui, quo præsidio in multis corporis affectionibus felicissimo euentu vtor. Capio Plumbi cãpanam, è qua aromatarij rosarum aquam stillatitiam extrahunt, hæc habet æris fundum: tu vero ex argilla eligito, quod acerrimo aceto supra medietatem implendum cõsulo, eaque industria, qua rosæ stillantur, in aceti destillatione carbonibus bene ignitis agendum est: caue tamen ne totum stillet acetum, ne aqua extracta vstionem sentiat. Hæc aqua auri colore est, sapore verò Sacchari, & mellis, mirabilis tamen tum in potu, tum extrinsece vsurpata, ob stibij flores ex plumbo extractos.

tractos. Vomitu & aluo purgat, ob id frigidis affectionibus, obstructionibusque vtilissima. In vlceribus putridis, fœtidis, acoribus scabie, herpete exedente, & aliis huiusmodi maximi est valoris. Dosis in potu sit vnc.ij. Deforis ad placitum.

Clarorum virorum exitum aliquot infœlicem fuisse.

IN Aniene fluuio Æneas post tot victorias, totque clara facinora periisse dicitur: nec dissimilis Romulo, Cæsari, Alexandro, Annibali, Scipioni, Iugurthæ, Mithridati, atque aliis innumeris mors successit: perquam enim pauci viri ex iis, qui clari, atque illustres tum virtutibus, tum fortuna habiti sunt, quos non infœlix exitus, tanquam pro exemplo fors ostentauerit posteritati. Ex Scaligero.

Desipientiam mulierum naturæ familiarem iudicari.

MVlieres vtero gerentes, si à phrenitide capiuntur, Galeni testimonio rarò consanescere legimus, vt scribit tamen Cælius Aur. semper minus grauiter.

minusque periculosè quam viri, mulieres ægrotant. Hoc autem, vt Mercurialis opinatur, ab alia ratione contingere non potest quam ab ipsarum natura, cuius familiarius est desipere quàm viri.

Mirabile Annibalis contra Romanos nauale stratagema.

INsolita, & mirabilis Annibalis, militaris astutia contra Romanos iudicatur: hic enim bello nauali cum iis dimicaturus, cum impares vires habere animaduerteret, tale stratagema inuenit. Serpentibus, quorum venenum confestim enecat, plerasque ollas impleuit, opertasque repente in hostes iaculatus est, quorum ictibus plurimi cecidere. His, & similibus stratagematibus vir hic tanquam aliter serpens, multoties hostium manus effugere consueuit. Ex Galeno in lib. de Ther. ad Pison.

Ambarum cum vino alicui exhibitum confestim inducere ebrietatem.

AMbarum, quod à vulgo Ambra grysea vocatur, (omissis aliorum falsis opi

opinionibus) è Bituminosis fontibus, qui in Maris profunditate existunt, oritur. Hoc autem primò liquidum est, cùm vero aquarum impetu sursum rapitur, ex aeris frigiditate condensatur, & Ambarũ fit, siquidem in maris concauo pleraque mollia teneraque obseruantur, & inter alia Corallium, quod ex aqua exemptũ citissime lapidescit. In Ambaro illud mirabile iudicatur, quod ab aliquo antequã vinum hauriat, odoratum, instar ebrij euadat: cum vino autem propinatum, cõfestim notabilem inducere ebrietatem multis experimentis est comprobatum. Ex Simeone Sethi Græco auctore.

Oleum Lathiris, Tympaniam, Colicasque affectiones mirabiliter sanare.

MIrabile quidem, quod è Cataputiæ seminibus extrahitur, oleum est, quippe in expellendis morbis, qui à flatu succisque frigidis oriuntur, principem habet locum. Contundantur huius semina, atque in aqua tam diù ebulliant vt excocta videantur, mox oleum in aqua supernatans cochleari colligendum est: Mos est apud Indos tale oleũ cõmodius per

decoctionem, quàm expreſſionem colli-
gere. Vſurpatur hoc feliciſſimo ſucceſſu
in Tympania, colicis, iliacíſque doloribus,
ſtomaci affectione, aurium ſurditate, atq.
in ijs morbis qui à ſuccis frigidis flatuque
fiunt. Huius gutta aliquo liquore in potu
ſumpta aquam citrinam euacuat, in arti-
culorumque doloribus pituitam humo-
reſque frigidos. Extrinſece vſurpatur in
omni Hydropis ſpecie: vbi tamen flatuo-
ſitas viget, maximā in ea expellenda pro-
prietatem habere videtur. Ex Don Gar-
zia ab Horto.

Venenum à diſsimili extingui, à ſimili vero augeri.

HOc proprium eſſe veneni, à ſapien-
tioribus proditur, à diſsimili extin-
gui, & à ſimili augeri & robuſtius fieri: ea
propter non ſemel à perfidis hominibus
exhibita venena nullius valoris fuiſſe ob-
ſeruatum eſt, cum ea diſſimilibus fuerint
ſociata. Aconitum & Napellus miram
retinent vim necandi, compeſcitur tta-
men eorum potentia à veneno diſsimili,
ex quorum diſsimilitudine vtriuſque vis
hebetatur. Mira eſt Auſonij hiſtoria de
vxore

vxore męcha, quæ marito venenum propinauerat, vt autē illud robuſtius eſſet, Hydrargyrum miſcuit, ex quo toxici virtus dempta eſt, & vir immunis euaſit. Hoc epigrammate ille monſtrat.

Toxica zelotypo dedit vxor mæcha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datū.
Miſcuit argenti lethalia pondera viui,
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc ſi quis, faciunt diſcreta venenum,
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant,
Ceſſit lethalis noxa ſalutiferæ.
Protinus & vacuos alui petiere receſſus,
Lubrica deiectis, qua via nota cibis.
Quàm pia cura Deum: prodeſt crudelior vxor,
Et cum fata volunt, bina venena iuuāt.

Cornelij Celſi de valetudine ſanorum hominum cōſeruanda tutiſſima præcepta.

INter grauiſſimos medicos & ſcriptores, nemo eſt qui in conſeruanda ſa-

norum hominum ſanitate oculatior exiſtat. Afferam eius verba, vt ſaluberrima iſtius præcepta rectius intelligantur. Sanus homo, qui & benè valet, & ſuæ ſpõtis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque medico neque alipta egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus, modo ruri eſſe, modò in vrbe, ſępiuſque in agro: nauigare, venari, quieſcere interdum: ſed frequentius ſe exercere: Siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectutem, hic lõgam adoleſcentiam reddit. Prodeſt etiã interdum balneo, interdum aquis frigidis vti, modò vngi, modò id ipſum negligere: nullum cibi genus fugere quo populus vtatur, interdum in conuiuio eſſe, interdum ab eo ſe retrahere: modò plus iuſto; modò non amplius aſſumere: bis die potius quam ſemel cibum capere, & ſemper quàm plurimum, dummodo hũc concoquat. Sed vt huius generis exercitationes, cibique neceſſarij ſunt: ſic athletici, ſuperuacui. Nam & intermiſſus propter ciuiles aliquas neceſſitates ordo exercitationis corpus affligit, & ea corpora quæ more eorum repleta ſunt, celerrime & ſeneſcunt & ægrotant. Hæc

firmi

firmis seruanda sunt, cauendumque ne in secunda valetudine aduersæ præsidia consumantur. Ex lib. 1.

Socrati à familiari Dæmone de Platonis indole somnium fuisse immissum.

SOlent, quandoque mali spiritus hominibus somnia ingerere futurarum rerum, vel Dei permissione, vel vt nos ipsos decipiant. Hinc Socratem legimus vidisse per somnium oloris pullum sibi in gremio plumescere, qui cõtinuo exortis pennis & expãsis alis in altum aduolans suauissimos cantus edebat. Postridie Platone adducto, hic est (inquit) Cygnus, quem ego præterita nocte tã suauiter canentem somno videram. Hoc somnium, vt scribit Henricus de Assia, à spiritu familiari sub forma Cygni, quem Athenienses veneri dicarunt, fuit immissum Socrati, vt Platonis indolem interpretaretur, & superbiæ vitio subiiceretur, existimans se esse prophetam. Ex Thoma Garzonio.

Agricolam quendam cultello sibi guttur abscidisse ob ferramentorum astu Dæmonis in ventrem emissorum cruciatus.

MIrabilis equidem Ioannis Langij historia est, de cuiusdam maleficiati agricolæ interitu. Hic crudelibus dolorum tormentis in altero hypochondriorum cruciabatur, factaque à Chirurgo incisione sub illæsa cute clauum detraxit, dolores tamen ob id non solum haud cessarunt, sed potius in dies recrudescere visi sunt. Quare agricola dolorũ impatiens, cultello sibi guttur abscidit. Dum autem tertio die mortuus ad sepulchrum efferretur, à duobus chirurgis in magna hominum frequentia illius ventriculus concisus est. In eo (res mira, & prodigiosa) lignum teres & oblongum, quatuor ex chalybe cultri, partim acuti, partim serræ instar dentati, ac duo ferramenta aspera reperta fuerunt: quorum singula sphitami longitudinem excedebant. Aderat, & capillorum inuolucrum globi instar. Credibile est sane, hęc in ventriculi cauitate congesta fuisse, nõ alia arte quam Dæmonis astu & dolo.

Quo-

Quo artificio epistolam in ouo celatam alicui scribere valeamus.

INter scripturarum furtiuarum arcana, non infimum locum tenere existimo, in ouo epistolam celare, atque amico scribere: Videbis enim oui putamē illæsum mundumque illo tamen exempto disruptoque characteres apparebũt. Aperiam secretum. Si atramento ex gallis, alumine, & aceto confecto in oui cortice literas signabis, votum assequeris. Has oportet in Sole calente exiccare, mox ouum in muria concoquere, quousque fortiter obduretur: ita enim à cortice characteres euanescunt, & ad interna gradiuntur, siquidem putamine exempto, notæ in oui durato albumine inueniuntur. Ex Carolo Stephano.

In aqua frigida captanda maximum veterum fuisse studium.

MAximam antiqui curam adhibebāt, vt aquam frigidam pro æstatis incendio temperando conseruarent: quare ex niuibus eam parabant, vt Athenæus etulit. De qua re perbellè loquebatur,

Seneca, *& panas montium in voluptates transferunt*. Alexandrini aquam Sole tepentem, in fenestris ad ventorum incursus exponebant, vt noctu frigesceret: manè autem ante Solis ortum humi ponebant, foliisque lactucæ atque pampinis iniectis frigidam tuebantur. Hoc Galen. narrat. 6. Epidemior. Plutarchus 6. Sympos. cotibus, & silicibus aquę iniectis hoc fieri scripsit. Neronis autem in re hac studium nobilissimum fuisse proditur. is etenim, vt niuis voluptate absque niuis iniuria frueretur, feruentem aquam vitro immissam in niues refrigerari mandabat. Ex Heurnio.

Fœminas in prima menstruorum eruptione in Venerem maxime incitari.

EOdem ferè tempore, quo menstrua erumpunt, fæminis vbera exurgunt: sanguis ille, instar occisi animalis videtur, atque in maiori copia erumpit, cum vbera ad duos digitos prominent, quo tempore puellarum vocem in grauiorē mutari conspicimus. Illud autē maximè adnotandum est, in prima menstruorum eruptione puellas in pudendis valida

tenti-

tentigine pruritque corripi, ex quo ad Venerem incitantur: quare per tempus illud cautè custodiri existimo. Ex Arist. 7. de Hist. anim.

Qua industria Aegyptij lapides à vesica absque incisione extrahant.

MIrabile quidem est Aegyptiorum studium in extrahendo lapide à vesica absque incisione, quando nostrates medici lapidarij sine illa facere nequeant, idque cum magno languentium vitæ periculo. Hi ligneam cannulam accipiunt octo digitorum longitudine, & digiti pollicis latitudine in opere absoluendo. Hanc colis canali admouent, fortiterque insufflant: ne autem flatus ad interiora perueniat, extremum pudẽdi manu altera perstringunt, foramen deinde cannulæ claudunt, vt virgæ canalis intumescat, latiorque fiat. Quo facto minister digito in ano posito, lapidem paulatim ad canalem virgæ, atque in eius vas extremum deducit. Qui vbi præputio lapidem appropinquare sentit, cannulam à virgæ canali fortiter im-

petuque amouet,& lapis extrahitur. Ex Alpino.

Multa præsidia ab animalibus homines accepisse.

NOn pauca quidem præsidia sunt, quæ ad hominum tutelam ab animalibus accepta sunt. Celidoniæ enim virtutem ad oculorum morbos ab Hirũdine accepimus,quæ hanc conquirit herbã,vt suorum filiorum oculos, vel vitiatos, vel cæcos curet. Fœniculi virtutem ad eandem tutelam ab anguibus didicimus. Ab Ibide, quæ instar Ciconiæ auis est, clysteris vsum habuimus, nam & illa rostro marinam aquam assumere solet, illoque pro clysteri vtitur,vt ventrem nimis onustum exonerare valeat. Insuper marinus equus Hippopotamus dictus, venarum sectionem nos docuit: ille siquidem mala oppressus valetudine, ad recenter succisas arundines graditur, acutiorique cuspide sanguinem è crurium venis adimit. Quod autem in hoc mirabile est,vt sanguinem cohibeat, in fimo vel cæno volutatur, & ita vitam tuetur & sanguinem sistit.Ex Plinio, & aliis.

Equorum

Equorum testiculos ad secundas depellendas miram habere virtutem.

SIngularis profectò Equi testiculorum ad mulierum secundas depellendas est proprietas, adeò quod testatur Genserus in epist. Rusticum quendam, quinquaginta in puerperis feliciter hoc vsum fuisse remedio. Vsus est & Horatius Augenius in pluribus mirabili euentu: præstantissimum idcirco à grauibus auctoribus iudicatur remedium, nam & plurimis iam deploratis profuit. Capiuntur testiculi equi castrati, & frustillatim concisi in furno exsiccantur, quorum puluis quantum capitur tribus digitis è iure bibẽdus datur in necessitate: idque si opus est, bis aut ter repetitur.

Humanam saliuam Scorpiones interimere.

HOminum saliua Scorpionibus infestissimum venenum est, adeò quod ea tacti confestim intereant. Porrò iis saliua tota substantia aduersa est, vt Galenus lib. 10. simp. medic. experimento confessus est: is enim à sola saliua mo-

rientem vidit Scorpionem, idque celeriter patientem à saliua esurientium aut sitientium, tardè autem ab illis qui cibo potuque fuerant impleti, in aliis autem proportione.

Apium risus homines ridendo interficere.

SCelerata est herba, quæ Apium risus dicitur, quod ridendo homines interficiat: si quis enim gustauerit ieiunus, vtique ridendo exanimabitur, vt Apuleius testatus est. Ex hac illud adagium ortum habuit, *Sardonius risus*: nam & *Sardonia* etiam vocatur. Porrò non ex risu, qui hanc gustauerint moriuntur: sed potius, vt placet Salustio, neruos labiorum, & oris musculos illius qui eam comedit contrahere facit, adeo vt ridendo mori videatur.

Qua industria Parthi Scythaque sagittarum aciem venenarent.

PArthorum Scytharumque toxicum, quo sagittarum acies inungi solebat, humano sanguine & viperina sanie constabat, tantæque feritatis erat hoc venenum,

num, vt leui tactu animal interimeret. Equidem Scythæ viperas recenter enixas venantur: easque dies aliquot contabescere sinunt, donec in saniem putrescant. mox toto vnius hominis sanguine in ollam effuso, eam exquisitè coopertam fimoque obrutam computrescere sinunt, cuius demum ichor sanguini supernatans, siue serum cum viperarum sanie commixtum lethale Scytharum toxicũ est. Ex Arist. Plinio, & Langio.

Succinum vtero gerentibus exhibitum, mirè partum accelerare.

MVltis experimentis comprobari audio, succinum parturientib. drac. semis pondere ex vino albo potui datũ, mire partum accelerare. Hoc etiam facit eius oleum, si gutta tantum in aqua verbenæ parturienti propinatur. Quidam tamen medicus Hetruscus (Fallopij testimonio) exhibebat scrup. j. Boracis in decocto matricariæ, vel sabinæ dissolutę difficulter parientibus, miraque faciebat, breui enim temporis spatio fætus vel viuus vel mortuus egrediebatur. Habebat ille medicus pro arcano præstantissimũ

hoc auxilium: tamen nescio quomodo postea fuerit detectum. Ex Andernaco.

Serpentum oua genituramque per imprudentiam in potu hausta, serpentes in corporibus procreare.

ADmiranda succedunt quandoque symptomata ex aquæ potu vitiatæ: siquidem imprudenter cum ea semina vel oua serpentum hauriuntur, è quibus mox serpentes generantur. Gesnerus in lib. 2. hist. animal. cap. de Ranis Rubetis, bufones in ventriculis, intestinisque hominum, hausta eorum genitura, fieri & nutriri probauit. Iacobus Manlius in lib. experim. in cuiusdam equitis ex hausta cuiusdam lacunæ aqua vbi erant semina serpentum, in ventriculo plures angues fuisse genitos prodidit: quibus per interualla extractis, medicorum auxiliis sanus factus est. Leuinius Lemnius Vermiculos caudatos atque insolita forma bestiolas vomitu eiectas nouit. In nonnullis lacertas à pharmaco fuisse eductas obseruatum est, vt Gēma Cosmocrit. vidit. Quare maxima in aquæ potu hominib. opus est animaduersione: ne huiusmodi exhaustis, pernicies corporis consequatur.

In des

In desperato coli dolore Hydrargirum, vel glandem plumbeam exhibitam multos consanasse.

MIrabile videtur, Hydrargirum, quod à multis venenum reputatur, in desperato coli dolore exhibitum, plurimum prodesse. Equidem Marianus Sanctus ex multorum consilio qui ab hoc lethali morbo sanati sunt, suadet, si obstructio perseuerauerit, & fæces per os extrudantur, haurire cum aqua sola argenti viui libras tres. Probat hic ex ratione vinctum seu duplicatum intestinum Hydrargiri pondere explicari, fæces detrudi, vermesque si ibi fuerint interimi, & ægrum liberari. Haud ab hoc dissimili auxilio quidã nobilis, post alia tentata ad morbi huiusmodi acerbitatem machinamenta, liberatus est. Hic haustis olei amigdalarum dulcium sine igne extracti vnc. iij. cum vino albo & aqua parietarię mixtis, mox deuorata glande plumbea argento viuo illita, planè à colico cruciatu euasit, illamque ex ano absque labore reddidit. Ex Pareo libro 16.

In fœniculorum seminibus, vim quandoque exitialem delitescere.

AGrauibus scriptoribus comprobatur, serpentes fœniculorum esu & senectam exuere & oculorum aciem renouare. Hinc iis affricantur oculi anguiũ vt votum assequantur. Ex attritu fœniculorum seminibus praua quædam imprimitur qualitas è qua venenati producuntur vermiculi, quorum esu multi in pessima deuenerunt symptomata, & ab alexiteriis rarò adiuti sunt, tanta huius veneni potentia est. Quare fœniculorum vmbelli antequam comedantur aperiãtur, & diligenter concutiantur, vt à vermibus emundentur. Præstabit aliquantisper in frigida macerare. Ex Balthasaro Pisanello.

Noua, admirandaque præsidia ad Anginam gutturisque apostemata.

AFferam singularia auxilia, è quibus, ex grauissimis scriptoribus ad anginam, & gutturis apostemata mirabilia contigisse proditur. Lignum hederæ ad gutturis apostemata à proprietate valere scri-

re ſcribit Ioannes Marquardus: quippe obſeruatum eſt, comedentem ex concleari hederæ ligneo, ſiue bibentem in aliquo ipſius vaſe ligneo nunquam vel rarò in gutturis vel vuulæ apoſtema incurrere. Rubeta cocta & pro emplaſtro Sinanchicis impoſita confeſtim liberat.

Vermes, quandoque in cordis capſula procreari è quibus mors ſubitanea pleriſque exoritur.

FAbuloſum haud eſt, vermes in corde generari. Hoc enim Meſues docet, Hollerius, Matth. Cornax, Alexius Pedemontanus, & alij Ioan, Hebenſtreit in lib. de Peſte, Principem quendã ex morbi ſæuitia periiſſe narrat, cuius cadauere diſſecto, vermis albus, præacuto roſtello, eoque corneo præditus cordi adhæreſcere deprehenſus eſt. Ex medicis, ſucco allij feram hanc, tanquam ex indubitato remedio, interimi probatum eſt. Petrus Sphererius (vt Schenkius narrat) ciuem Florentinum morte ſubitanea correptũ atque diſſecatum obſeruauit, in cuius cordis capſula vermis viuus repertus fuit. Aiunt multi certiſſimo experimẽto

succo allij, raphani, & nasturtij hos vermes necari, qui ex testimonio Pedemontani, in corde delitescentes, syncopen, Epilepsiam, & mortem inferre solent.

Mares, plerosque in mammillis, mulierum instar, lac producere.

LIcet marium mammillæ spissa carne præditæ sint, lac tamen in iis aliquādo fuisse productum obseruatū est. Nouit hoc Arist. vt lib. 1. de hist. animal. docuit. Vessalius non semel id conspexisse in lib. 15. Anat. commemorat, & Hieronymus Eugubius in libell. de lacte: sic & Cardanus lib. 12. de Subtil. qui Ianuæ vidit Antonium Benzium è cuius mãmillis lactis tantum profluebat, vt infantem ferme lactare potuisset. At historia, quæ affertur ab Alex. Benedicto mirabilis est: ait enim, Syrum quendam mortua cōiuge, è qua infans supererat, vbera filio admouisse, è cuius suctu tanta lactis copia in pupillam manauit, vt exinde loco matris nutrire valuerit. Ego quidem in duobus filiis meis, in primis diebus à partu obseruaui, ab obstetrice mammillas contrectatas, lac impulsu (magno multorū

stupo-

ſtupore) emiſiſſe: idque in aliis etiam infantibus conſpexi.

Lumbricos, quandoque tantæ procreari virulentiæ, vt interiora corporis perforare valeant.

INfanda quidem ſymptomata à vermibus aliquando proueniunt. refert enim Omnibonus lib. 4. de morb. infant. Lumbricos ex vmbilico cuiuſdã erupiſſe. Tralliani teſtimonio habemus, hæc animalia ob alimenti inopiam inteſtina laceraſſe fuiſſe obſeruatum. Id etiam ab Ægineta confirmatur: inſuper Hollerius conſpexit, vermes per inguina, & vmbilicum prorupiſſe. Magna igitur cura opus eſt in horum redundantia, ne interiora corporis valeant lacerare.

Infantis vmbilicum & Ceruinum penem mirabiliter conceptum facere.

ALexander Benedictus lib. 30. de curand. morbis, vmbilicum infantis, qui ſponte cadit, quoquo modo in cibo ſumptum, ſi ignorauerit mulier, ad conceptum facere, prodidit: illumque in bra-

chialibus à muliere geſtatum conceptũ inhibere credit. Ceruinum inſuper penem aridum,& in farinam redactum , obolipondere à coitu fœminis datum procul dubio ad concipiendum prodeſſe experimento probat. Bauerius tamen conſ. 50. vterum ceruinum ſingulari dote ad conceptum valere prædicat.

Vlmi vſum recentem Elephantiaſim curare, fuiſſe obſeruatum.

TAnquam certum remedium. Vlmi vſus in curanda recenti Elephantiaſi à Iacobo Douinero lib. 1. c. 7. prædicatur. Vidit enim adoleſcentem tali affectu laborantem,& decoctionis Vlmi vſu (factis faciendis) conualuiſſe. Ea quidem pro omni potu vtebatur in quolibet pastu,cum pauco vino albo, & tanti ſudores mouebantur grauecolentes , vt vix illos cuſtodes ferre poſſent. Ita viſcera purgabantur , & magna vrinæ copia excernebatur, quibus excretionibus ſanus factus eſt.

Cyprinorum eſum podagricis eſſe infeſtum.

QVamuis inter piſces, Cyprinus nobiliſſimus exiſtimetur, cum optimũ præ-

præbeat nutrimentum, exquiſitiſſimique exiſtat ſaporis, tamen podagricis infeſtũ eſſe obſeruatum eſt. Nouit enim podagroſum Iulius Alexandrinus (vt retulit lib.15.c 6. de Salubr.) cui Cyprinorum eſu pinguium parata erat ſemper podagra, vt in manu illi eſſet eo pacto accerſere cum vellet.

Puluere pellis leporinæ, perniones à Septentrionalibus ſanari.

OLaus lib.2. Rerum Septentrionaliũ, illos populos, ob aeris frigus, frequentiſſimè perniones experiri ſcripſit, qui morbus non alijs ab iis ſanatur remediis quam puluere pellis leporinæ. Plinius vero Rapum domeſticum feruẽs calcaneis impoſitum ſanare retulit. Ego ex Carolo Stephano in lib. de Re agraria in quodam expertus ſum remedium, & benè ſucceſſit. Accipit ille ficos crematos, è quorum puluere & cera vnguentum parat, hoc pernionibus impoſitum breui liberat patientes.

*Hydrargirum loco amuleti gestatum à pe-
stefas. inoque corpora defendere.*

MArsilius Ficinus,& P.Droetus in lib. de Peste mire Hydrargirum extollunt: si enim auellana perforatur & extracto interiori nucleo cum acicula argento viuo repletur & collo suspenditur, mirum in modum à peste corpora tuta reddit: ita profectò à pestifera lue sæuiente se defenderunt multi.Hoc etiam præsidio mulieres lactantes à fascinatricibus,ne lac sibi adimatur quo infantes alendi sunt, præseruari posse Thomas Iordanus in lib. de Peste prodidit.Quippe multis experimentis obseruatum retulit,hoc secum gestato nullas prorsus sagarum, lamiarum, aut strigum insidias lactantibus nocere.

*Mespili lignum, collo appensum, grauidas
ab abortu præseruare.*

CVm quadam æstate apud D. Ioannem Nicolaum Cutillum Brancatium,mei amantissimum, vt puerum curarem intereßem,fortè inter me & Dominam D.Mantiam Cotoneam è Tole-
tis

tis eius vxorem de abortus præseruatione tunc vtero gerentem conuentum est. Retulit domina hæc, Mespili lignũ collo appensum mirè ab abortu grauidas defendere : idque millies à suis maioribus fuisse expertum. Confiteor in plerisque tale lignum fuisse à me expertum, atque certum & rarum remedium semper inuenisse: siquidem multæ abortientes,& dolore,& sanguinis fluxu (appenso ligno) restrictæ sunt, & ab abortu seruatæ, adeo quod in eo particularem virtutem abortũ prohibendi inesse reor.

Qua industria homines abstemios reddere valeamus.

MVltis experimentis comprobatũ reperio Anguillas, vel Mullos in vino suffocatos vini fastidium inducere : si enim ex eo bibant homines procul dubio abstemij fiunt. Insuper Philostratus in vita Apollonij oua noctuæ elixata,& infantibus pro cibo allata, hydropotos in tota vita illos reddere scripsit. Mizaldus, Ranam viridẽ ex iis quæ in fontibus saliunt, viuam in vino suffocatam idem efficere, si tale vinum potetur, prodidit.

Rotundam Aristolochiam mirè pisces stupidos reddere.

MIra est Aristolochiæ virtus in pisces, ipsa enim illos odore ad se allicit, mox stupidos reddit. Propterea si eius radicem contritam calceque commistã, siue eius decoctionem cum calce pacato flumine aut maris littore piscatores cõspergent, pisces agminatim confluere videbunt. Illi autem puluere degustato, veluti exanimati supernatantes capientur.

Puellam veneno ab infantia nutritam Alexandro ab Indorum Rege fuisse missam.

INdorum Rex Alexandri fortunæ inuidens, vt illum interimeret, miræ pulchritudinis misit puellam, ratus forsitan Alexandrum confestim cum ea concubiturum. Illa autem Nappelli veneno ferè à cunabulis erat educata, propterea more Serpentum scintillantes habebat oculos. Hos Aristoteles aspiciens, caue tibi ab hac (dixit) ô Alexander, nam virus pestilentissimum alit, vnde tibi exitiũ paratur.

paratur. Poſt paucos dies plerique proci huius commercio venenati periere, ex quo Ariſtotelis præſagium mirabile fuit iudicatum. Ex Auerroe.

Quale ſit igneum præſidium, quod in morbis ab Aegyptiis & Arabibus vſurpatur.

IN lib. de Medicina Ægyptiorum prodidit Alpinus , quo pacto ij in morbis corpora adurant. Accipiunt enim lineam petiam cubiti longitudine, latitudine verò trium digitorum , quam ad formam pyramidis aptant goſſipioque implent: ipſius latior pars, parti adurendæ applicatur, alterumque caput accendunt, cõburique tamdiù permittunt, vt faſciculus cremetur. Continuo tamen dum cutis vritur ferro circumcirca attingunt carnem, ne caloris incendio aliqua oriatur inflammatio. Hoc inſuper inuolucro parando obſeruant, vt in medio faſciculi meatus exiſtat: ita enim euentatio ſine reſpiratio aliqua paratur. Inuſtione autẽ peracta, oſſiũ medulla in carne aduſta quoad eſchara cadat vtuntur. Hic vrẽdi modus Ægyptiis & Arabib. familiaris eſt.

Olim in Creta familias quasdam mire fascinatrices adfuisse.

A Multis fide dignis audiui, tum mares quosdam, tum fœminas in hisce partibus animalibus, puerisque laudando fascinum attulisse: adeo quod ij si ad ouile, porcileque quodpiam adiuissent, confestim interitum plerisque produxissent. Quare mirũ haud est quod legitur, in Creta, quasdam familias adfuisse quę laudando fascinum inferebant. His profectò natura quædam ferè venenosa efficitur, & ex oculis inde spiritus efflant venenatos, quibus animalia, pueri, & grãdiores fascino maculantur. Laudando autem venenum promptius operatur: siquidem laus propria gaudium affert, quo cordis spirituumque dilatatio oritur, & veneno aditus præparatur. Ex Fracastorio de symp. & Antipat. rer.

Cyprini verticis ossiculum mirabiliter Epilepticis subuenire.

IN Cyprini caluarię vertice quoddã reperitur ossiculum triangulare lapidis instar, quod in curãda Epilepsia principé locum

locum obtinere aiunt, tanta enim efficacia Epilepticis ſubuenit, vt morbus is nũquam reuertatur. Hoc vbi ſuturæ in vertice caluariæ Cyprini committuntur intus ſubſiſtit, propterea ſi illa ſcalpello penetratur, ſtatim foràs proſilit. Andernacus hoc oſſiculum nummi germanici crucifeԁi appellati magnitudine exiſtere prodidit, atque ſalutare eſſe Epilepſię remediũ.

Calphurnius Beſtia Romanus qua via vxores interimeret.

NOnnulli ex veteribus in venenis noſcendis maximam adhibuere curam & diligentiam, inter alia Aconitum venenorum omnium eſſe ocyſſimum comprobarunt: ſiquidem tactis huiuſmodi veneno genitalib. ſexus feminini animalium, eodem die mortem inferre viſum eſt. Hac via Calphurnius Beſtia, vt ditaretur forſitan, vxores dormientes interemit, de quo M. Cæcilio accuſatus eſt. Hinc illa atrox peroratio, eius in digito mortuas. Conſilii induſtria Ladislaus Neapolis Rex, cum cuiuſdam medici Prochytami filiam adamaret, cum eaque concuberet, Florentinorum conſilio extinctus eſt.

Aceto Scyllitico Pythagoram, vitam longissime produxisse.

ACetum Scylliticum Pythagoras magnifecit: ſcripſit enim eius vſu longam homines vitam conſequi,& vſque ad eius extremum finem permanere integrè & dextra valetudine. Ipſe cum quinquageſimum ageret annum hoc remedio vſus eſt,& eius vſu ad centeſimum & decimum ſeptimum productus eſt integer, & nulla vnquam aduerſa valetudine tentatus: cuius optimam facultatem admiratus conſanguineis communicauit, vt illius vſum haberent.

Oleum lixiuio mixtum in lactis speciem transire.

FIrmè experimento oleum lixiuio mixtum ſi diu agitetur in lactis ſpeciem tranſire comprobatum eſt: eſt enim lixiuium tenue atque calidum,oleum autem cum aëreum ſit à lixiuio attenuatur, & proinde aërem concipit, ex quo albedo innaſcitur. In aquis etiam quæ diu agitãtur,lactis ſpecies quædam exoritur ex cõſimili induſtria:huius indicium ſpuma eſt,

quæ cum sit tenuis aërem concipit & de-
albatur. Ex Cardano.

Qua industria Scythæ absque cibo & potu per plures dies existant.

MIra est herbæ Scythicæ operatio, qua Scythæ per plures dies sine cibo potuque viuere dicuntur. Hanc ij circa Boeriam inueniunt crescentem, & ad famẽ sitimque tolerandam vtuntur: siquidem gustu dulcis vt liquiritia est, & in ore detenta famis sitisque sensum hebetat. Idẽ apud tales Hippice præstat, eo quod hæc planta equis consimilem generet effectũ. Aiunt multi, Scythas his herbis duodenos etiam dies famem & sitim non sentire. Ex Matthiolo.

Catellos calorem natiuum augere, membrorumque dolores consopire.

PRo excitando natiuo calore, membrorumque cruciatibus demulcendis, Catelli præstantissimi (Galeni testimonio 7. Method. med.) existimantur. Illorum autem huius naturæ haud omnes habentur, sed ij præcipuè quibus pilus, cõ-

color est. Propterea in chiragra, podagra, & in omni Arthridis specie cruciatus quãlibet efferatos parti affectæ adhibitos præstantissimè consopire à multis comprobatum reperis.

Plurima è terra sursum rapi, iterumque deorsum cum pluuiis præcipitari.

MAximam, vellera, Ranæ, vermiculi, lapilli, ligna, varij generis frumentacea, lac, sanguis, & id genus alia terræ permixta, quę cum pluuiis quandoque præcipitari aspicimus, nobis præstant admirationem, adeo quod à casu insolito plerique perterriti Cœli minas metuunt. Cessat autem admiratio si eorum causas pẽsitamus: hæc enim primo stagnorum effluuiis ventorumque impetu terræ permixta sursum feruntur, mox cum pluuiis iterum descendunt. Propterea nec semper mirum aut insolens à sapientibus iudicatur. Cornelius Gemma in Cosmicritica c.6. hæc causas legitimas à Cœlestibus Syzygiis habere prodidit: sed tamen eo vsque progredi solere, tum specie sua, tnm magnitudine, vt etiam in portentis principem inueniant locum.

Cum Psillis & Marsis Serpentes haud habere inimicitiam.

MIrabile eſt, Serpentes, qui à mundi primordio cum humana ſpecie controuerſiam, inimicitiamque iniuere, cum Pſillis & Marſis nec odium nec diſconuenientiam retinere. Neceſſe etenim eſt vt iis aliqua miſtio non omnino contraria oriatur, aut odor, aut aliud, è quo ſpecies minus ingrata videatur, ita profectò inter homines ipſos etiam contingit. quãdoque enim ſine cauſa nõnullos odimus, alios amamus, prout rerum ſpecies ad animam noſtram perueniunt, è quibus diſconuenientiã captamus. Ex Fracaſtorio.

Olim vaſta & robuſta fuiſſe hominum corpora.

QVamuis Plinius cæterique ſcriptores hominum corpora, robur, vitam, ſemper imminui conquerantur, tamen olim Gigantes extitiſſe, & vaſta hominum fuiſſe corpora verendum non eſt. D. Auguſtinus lib. 15. de Ciuit. Dei, dentem gigantis in quodam flumine inuentũ fuiſſe tradidit, qui minutim diuiſus, centum ex-

nostris dentes superabat. De Pallant
scribitur admirandum. Hic Æneam con
tra Turnum Regem Rutulorũ adiuui
mortuus tandem, & sepultus vbi nun
Roma est (referente Solino) anno octin
gentesimo post Christum dominum, dun
quædam ædificia Romæ fierent casu i
sepulchro, quo arte mirabili cum lucern
ardenti conditus erat, inuentus est, & in
teger erectus altitudinem muri capite ex
cellebat. Quid de Aiace, quid de Turno
& de ingenti saxo quod vterque in host
coniecit referatur, nouum haud est. Qui
tandem de Oreste filio Agamemnoni
cuius cadauer octo cubitorum longitud
dem excedebat, atque de aliis innumer
dicatur, apud scriptores reperitur. Idcirc
præter stirpem giganteam quæ post d
luuium imminuta est, alia corpora vast
tatem & robur maximum retinuisse con
cedendum est, impræsentiarum verò ho
minum corpora huiusmodi comporata t
pusilla sunt, vt præ illis nani esse videan
tur. Ex Helinando Chronographo.

Equum phaleris accinctum pulchris acri
rem fieri.

EA profectò Equorum natura est, vt si pulchris ornantur phaleris tum acriores, tum pulchriores iudicentur. Est de his clarum exemplum de Bucephalo Alexandri, qui phaleris accinctus Regiis neminem præter Alexandrum (testimonio Æliani) ad se ascendere patiebatur, & quod erat in illo mirabilius, vt ascensus facilior esset, demittebatur cum dominus equitare volebat. Phaleris autem remotis, quilibet mediastinus ascendere & tractare poterat. Ego quidem domi mulam habeo, cuius tanta est sagacitas, vt si seruus meus Ephippium parat habenasque, illa humilis, demissa, & quasi gaudens persistit vt sternatur, hilarisque incedit & acrior: sin autem clitellas, calcitrosa, indomita, feraque confestim fit, nec talem sarcinam nisi vinctis pedibus ferre sustinet, adeò quod seruus ab opere desistere cogitur.

Exitiosissimum esse homini sub Lunæ radiis somnum facere.

LVnæ proprium est in hæc inferiora humiditatem immittere: quare exitiosum est, sub eius radiis diu dormire,

quippe dormientes obſeruatum eſt ægrè excitari atque proximos inſanis fieri. Lunæ vires in lignis quæ ad ædificia colligũtur potiſſimum experimur: conciſa enim Luna creſcente, ſunt ferè emollita per humoris conceptionem, idcirco tanquam inepta à fabricis reiiciuntur. Agricolæ experimento cognouerunt frumenta de agris in Lunæ diminutione collecta, diutius ſicca permanere. Hæc à veteribus Lucina vocabatur. & à parturientibus inuocabatur: Lunæ enim diſtendere rimas corporis, meatibuſque viam dare munus eſt: propterea tale ſydus partui ſalutare, illumque accelerare putabant.

Archelaum Mithridatis præfectum, ligneã turrim incombuſtibilem confeciſſe.

ADmirandum profectò iudicatum eſt Archelai Mithridatis præfecti cõtra Syllam commentum: hic enim turrim ligneam incombuſtibilem condidit, quam fruſtra ille incendere conabatur. Erant turris tabulata alumine collinita, in iis autem cruſta durior erat obducta, & alumen plumbique albi cineres pigmentis copioſè commiſtæ: qua induſtria ab igne

ſeruata.

seruata sunt. Consimili artificio, Cæsar ex Larigna materia circa Padum Castellum etiam construxit: Ex Lemnio.

Viscum quercinum sola suspensione Epilepticis subuenire.

EX grauibus scriptoribus multi orbiculos è Visco quercino sola suspensione vulgari filo transfixos idem pręstare in amolienda & præcauenda Epilepsia tradunt, quod pæoniæ masculæ radix, aut smaragdus è collo pendens efficere creditur. Retulit Iacchinus in Epilepticorum curatione, semel ea ratione qua ligno guaiaco vtimur Viscum quercinum per dies 40. propinasse, & profuisse quidem, non tamen morbum abstulisse, neque licuisse iterum id remedij in faciliori morbo experiri.

Inter Brassicam & Vites maximum inesse dissensum.

NOtabilis equidem discordia inter Brassicam, & Vites reperitur: propterea de Re rustica sapiëtes scriptores, vites à brassica offendi, deterioresque &

ſucco & odore ſi ſecus plãtatur, fieri prodidere. Experimento hoc comperitur, nã germen iis propiùs cum acceſſerit, auerſum ab inimico compulſum odore retrograditur. inſuper ſi in ollam, vbi braſſica elixatur, vini vel minimum coniicitur, quippe nec braſſica concoqui vnquam poterit, & quod mirabilius eſt, colorem proprium amittet. Hac moti ratione ſapientes ebriis braſſicæ ſuccum propinãt quo ebrietas ſubito ſoluitur: Conuiuantes pariter ne à vini copia potentiaque offendantur (Germanorum inſtar) braſſicam crudam primo comedere debent: ita enim vinum ad ſatietatem, abſque ebrietatis periculo haurire valebunt.

Cati nigerrimi eſum cerebrum homines dementare.

PEriculoſum eſt verſicoloris, & maximè nigerrimi Cati cerebrũ alicui ad eſum præbere: ad inſaniam enim homines ducit, & quod peius, cerebri meatus obſtruit, ſpiritusque impedit animales. Inter ſcriptores Petrus Apponẽſis huius eſu adeò inſanire homines dixit, vt præſtigiis quaſi obnoxij videantur. Ponzettus

tus pariter Cati pilos venenosos esse prodidit, eiusque anhelitum febrem he-cticam inducere.

Ex Betulæ corticibus ardentes faces comparari.

BEtulæ cortices non modò ignem cõfestim recipiũt, verum atque flammã pariunt ardentem, quo fit, vt plerique faces pro noctis obscuritate fuganda ex iis componant, bene rati lucidiorem has flammam quam Pini tedam parere: ex liquore autem qui picis instar dum vruntur destillat, oriri hoc iudicatur, cuius natura cum facile accendatur, mirum haud est talem effectum producere.

Hæmorrhoidalem herbam contactu Hæmorrhoides sanare.

MIra est Hæmorrhoidalis vis & potentia in persanandis Hæmorrhoidibus. si enim huius radicibus Hæmorrhoides dolentes tanguntur, atque illæ per diem circa femur ferantur & mox in camino fumanti suspendantur, procul dubio affectus sanatur: siquidẽ Hæmor-

rhoides æque atque radices exiccantur & flaccescunt: qua causa herba ab effectu nomen deduxit, nec immerito: nam in istarum inflammatione & doloribus si huius radices contusæ applicantur, confestim & dolor & inflammatio mulcentur. Ex Durante.

Marinæ Pastinacæ radium dentium dolores mitigare.

DEntium dolores multis experimentis ex Marinæ Pastinacæ radio mitigari visi sunt: huius enim radio, qui in piscis cauda enascitur, dentes tanguntur, & gingiuæ scarificantur, quo præsidio quam citissimè dolor euanescit. Prodidit Dioscorides lib. 2. cap. 9. radium hunc dentes frangere & euocare, quomodo autem hoc perficiat docuit Plinius lib. 32. cap. 4. Conteritur enim is, & cum Helleboro albo miscetur, quorum mistura si dentes illiti fuerint sine vexatione extrahuntur.

Pleraſque herbas Solis exortum & occa-ſum oſtendere.

EX herbis non paucæ Solis ortum & occaſum noſſe videntur, tantaque huius ſideris ſectãdi talibus auiditas naſcitur, vt firmiter inter has & Solem magnam ineſſe ſympathiam credamus. Profectò flos calendulæ in Solis ortu aperitur, & in occaſu clauditur. ex quo villicorum horologium à multis dicitur. Sequuntur Solis ſpheram non modo papauer, & illud Tithymalli genus quam vocant Helioſcopon: ſed etiam malua, lupini & cichorea, intenſius autem Lotus herba ſectatur, & exortum quotidianum & occaſum noſcit. Hæc (Theophraſti teſtimonio) caulem & florem veſpere mergit & circa mediam noctem tota in lacum irruit, & adeò occultatur vt nec manu admiſſa quis valeat inuenire: vertitur mox, paulatimque erigitur, & in Solis exortu extra aquas conſurgit, floremque aperit & patefacit, taliterque etiam num confidit, vt altè ab aqua abeſſe videatur.

Quales in Sodomi & Gomorrhi vestigiis oriantur fructus.

ALtissimi Dei decreto quinque vrbes antiquitus incensæ sunt, quarum Sodomum & Gomorrhum præstantissimæ iudicabantur. Harum in fauillis quædam noscuntur vestigia, siquidem cælestis ignis reliquiæ adhuc persistũt. Quod autem illic admirabile perspicitur, viridantia spectantur poma, formati vuarum racemi, nec quis est qui edendi haud cupiditatem habeat: illa autem manibus capta fatiscunt, & in cinerem resoluuntur, fumumque excitant quasi adhuc ardeant. Ex Aegesippo lib. 4.

Magnam inter Vterum & Mammas inesse Sympathiam.

NOn exiguus inter mulierum vterũ & mammas contemplatur consensus, quippe alterum alterius pathema ostendere obseruamus. A venis inter has partes coniunctis maximè ratio ostendit oriri sympathiã: ex iis enim materias ab vtrisque contentis transferri, & exonerari experimur. In menstruorum redundãtia cu-

tia cucurbitula ſub mammis appoſita fluxum cohiberi ab Hippocrate docemur. Lactis copia in puerperis dum magna grauiſque fuerit, die ſeptimo puerperij, octauo, nonoque in vterum à natura refunditur. Suppreſſi menſes in virginibus & viduis caſtis, non ſemel in mammas reſiliunt, & lactis copiam ſuſcitant. In mulierum pubertate accedente menſtruo vtramque partẽ creſcere videmus.

Quo artificio Solis defectum firmiter comprehendere valeamus.

VAria induſtria plerique conãtur Solis defectum deprehendere, hoc autem compertum eſt artificio illius defectionem firmiter apprehendi. Pelues hora inſtanti capiantur, quæ non aqua, ſed aut oleo aut pice implendæ ſunt: ratio enim ſuadet humorem pinguem non facile turbari, atque imagines perinde quas recipit conſeruare. Equidem imagines in liquido, & immoto tantum apparere conſueuerunt, propterea in oleo & picè commodius & firmius quomodo Luna Soli ſe opponat & illũ abſcõdat accipere

poterimus. Ex Seneca in Natur. Quæst.

Virginum mammillarum tumorem à Cicuta impediri.

HAc inter alias Cicuta pollet effica-cia, vt contuſa cum vmbella, atque virginum mammillis impoſita, tumorem & excreſcentiam valeat prohibere, fortaſſe nutrimentum impedit quominus augeantur, vt in puerorum teſticulis ſuccedit ſi hæc adhibetur: ij enim meatibus alimenti obtuſis facile exiccantur. Aperiam in hoc loco, quod à Rondeletio multis experimentis comprobatum reperio, de piſce ſquatina: hic enim mulierum mammis ſuperpoſitus illas adeò conſtringit, vt virginum mammillæ appareant. credunt multi in genitalibus eundem ſimiliter effectum producere.

A Quercus gallis anni præſagia comparari.

NOn modo à Plinio, verum atque à pleriſque rei ruſticæ ſcriptoribus obſeruatũ fuiſſe cõperio, à gallis quercus maioribus preſagiũ illud anni quod apud Vete-

Veteres in magno fuiſſe pretio & opinione legitur comparari. Aperiuntur gallæ quando integræ ſunt, ibique muſca, aranea, aut vermiculus reperitur: ſiquidem planta hæc in gallis huiuſmodi animaliũ gignere conſueuit. Si muſca volat, anni fertilitatem & bellum futurum præſagiunt: ſin vermiculus repit, annonæ carẽtiam arguunt: ſi autem aranea proſiliet, ſummam caritatem, & peſtilentes affectus prædicunt. His ego adderem, præſagia huiuſmodi ſi Deo placuerit, conſimiles ſectatura euentus.

Vitri puluerem calculos comminuere.

NOn ſolum Galenus, ſed Auicenna & medicorum plurimi ad calculos comminuendos Vitri puluerem extollũt: quomodo autem hic fieret, plurimum inſudaui: tandem qui ab Abenzoare componitur mihi ex voto ſucceſſit, & Vitrum adurere didici. Capitur Vitri albi & perſpicui fruſtulum, quod terebinthina collinire oportet totum, mox tandiù in prunis detinere, vt excandeſcat, hoc demum in aqua extinguitur, ſeptieſque iteratur, primò tamen linitur, ſecundò excoquitur,

vltimò extinguitur, quo peracto Vitrum conteritur, & in puluerem ſubtiliſſimum mutatur. Propinamus languentib. aurei pondus, vel drach. j. cum vino albo, & efficaciter calculos comminui experimur.

Quo artificio aëris naturam explorare valeamus.

AEris qualitatẽ, & naturam cum explorare libuerit, ſpongia bene ſicca atque munda ſereno cœlo per noctem ſub diuo exponenda eſt: illa enim ſi ſicca mane fuerit, ſiccus & aer erit: ſi humectata, nimboſus: ſi molliter vda, humidus ac roridus. Inſuper ſi recentem panem eadẽ induſtria expoſueris, à corrupto ſitum contrahere videbitur: à ſicco, fiet ſiccus: ab humido autem, à ſtatu proprio non mutabitur. Si aer fuerit peſtilens, carnes expoſitæ corrumpuntur atque colorem mutant, ſic etiam & adipes. Si aer craſſus erit, patebit in marmore & ſilicibus, quæ in tali natura admodum madere ſolent: contra verò in aere tenui, licet humidus eſſet: hæ enim in tali non ita humeſcunt. Ex Cardano.

Qualis

Quali stratagemate homines mortui videantur.

MVltis experimentis confirmatum reperio, homines videri mortuos, si vinum sublimatum siue aqua vitæ cum sale miscetur, ac in patina (sublata qualibet alia luce) accenditur in cubiculo, nocturno tempore, vbi homines reperiantur, siquidem ipsi immobiles fuerint speciem mortuorum repræsentabunt. Plerique vt Æthiopos fingant, lucernam accēdunt oleo plenam cum quo sepiæ atramentum sit dilutum: siue Calchantum, aut ærugo: nec sine ratione, ostēdit enim lux eorum colores quæ in iis sunt quæ ascenduntur: oportet tamen in cubiculo reliquas luces adimere.

Nereides facie humana & venusta plerasque fuisse repertas.

NEreides, quas vulgus Sirenas appellat, plurimæ in locis maritimis inuentæ sunt: an autem cantus dulcedine nauigantes in soporem proliciant & capiant, nos in lib. j. de Hominis vita abundè disseruimus, vbi de Tritonibus, Nerei-

dibus,hominibusque in mari genitis,quos marinos vocant,tractatur, poetarumque fabulæ enodantur. Vidit has Theodorus Gaza, & Georgius Trapezuntius homines magnæ eruditionis:Gaza in Peloponeso exorta maris tempestate Nereidem proiectam in littore reperit viuentem & spirantem, vultu humano, facie decora, corpore squamis hirto ad pubem vsque, cætera autem in locustæ caudam desinebant:ad hanc visendam magnus fuit concursus,illa tamen erat mœsta, crebroque suspirio fatigata, & frequentia hominum circundata gemitus dedit,& lachrymas emisit: quibus Gaza motus misericordia ad mare deduxit, vbi magno impetu fluctus secauit, & ex oculis omnium euanuit. Quid Trapezuntius & plerique alij viderint,in loco citato narrauimus.

De Apum natura,earumque mirabili sagacitate.

DIù equidem anceps fui in scrutanda Apum mellificatione, fœtu, & cera: nam & apud auctores magna reperitur controuersia num illæ generent,vel aliũde prolem habeant. Post autem exactum scruti-

ſcrutiniũ cuiuſdã amici valido experimẽto Ariſtotelis opinionem veram eſſe cõprobaui, ſiquidem Apes è floribus fauos conſtruunt, ex arborum lachryma ceram fingunt, & mella ex aeris rore captant. Hæ primùm fauos conficiunt, mox fœtũ collocant, ore calidum ſpirantes, vt vitam recipiat. Mellificant æſtate & autumno cibi cauſa, mel autem autumnale electius eſt. Fœtus in Vere ſerotino debilis fit, nã & maiori ex parte emoritur. Multi aiunt oliuas & examinum copiam congenerem habere naturam: nam ſi altera augetur, altera abundans fit: ſi vna deficit altera deprimitur. ratio eſt, nam mella ſiccitates augent, ſobolem verò imbres, quo fit vt ſimul oliuæ & copia examinum fit.

Vinorum aliquot exiſtere genera naturæ mirabilis.

REperiuntur in locis pleriſque aliquot vinorum genera mirabilis naturæ, eo quod vuæ & guſtu & ſenſu à cæteris minimè diſcrepant, nec vinum à vinis: tamẽ quod apud Heracliam Arcadiæ fit viros reddit inſanos epotum, & mulieres ſteriles, & apud Cabyniam Achaiæ abortum

facit, & in Thaſo vinum quoddam ſomnum producit, quoddam verò vigiliam. Ex Theophraſto lib. 9. Plant.

Quo artificio ignem, manibus abſque læſione tractare valeamus.

APud pleroſque ſcriptores inueni, ignem ſine læſione poſſe tractari, ſi trito maluauiſco cum ouorum albumine, manus liniuntur, ac deſuper alumen inducitur. Hoc autem experimẽtum à magno Alberto captum eſt, apud quẽ aliud legitur huius negotij artificium: ſi enim Icthyocollæ & aluminis æquales partes capiuntur, & adinuicem commiſcentur, ſi acetum his ſuperfunditur, quicquid tali miſcellanea illitum in ignem proiicitur, vtique non comburitur.

Menſtrua in ſenio ferè quibuſdam fæminis accidere.

QVàm fallax ſit tum Ariſtotelis tum aliorum iudicium, quod in mulierib. circa quadrageſimum annum, ſiue quinquaſimum menſtrua deficiant, quotidiana demonſtrat experientia. Mulierem hic cogno-

cognoui Victoriam nomine, eamque honestam & bene morigeratã: huic in anno 45. menstrua cessarunt, & fausta valetudine vixit: cum autem sexagesimum fere annum attingeret. ecce illi menses rubei, bonique coloris rediere, vberaque, quæ priùs flaccida erant, more virginum turgidula facta sunt, lactisque tanta copia impleta, vt impulsu ferretur: quare, vt puerulum filiæ suæ lactaret à me admonita est. Alteram cognoui, quæ vsque ad annũ 65. semper menstrua passa, & hodie viuit, & menstrua singulis mensibus fluentia habet. Hæc autem raro contingunt.

Bufonis lapidem contra venena mirabilem habere virtutem.

A Plerisque scriptoribus extollitur lapis ille qui in capite bufonis siue ranæ terrestris inuenitur, siquidem contra venena solo contactu valere expertum est, propterea inflationes à bestiis venenatis illatas discutere, venenũque elicere aiunt. Scribit Lemnius, tumores & dolores ex soricibus, araneis, vespis, scarabeis, glirib. aliisve venenosis animalibus causatos solo lapidis blando attritu euanescere.

Aquarum fluuios naturæ mirabilis reperiri.

IN multis locis aquarum exortus, miræ efficaciæ inueniri legimus. Scribit Aristot. in terra Assirithidæ aquas nasci, quas cum oues biberint, moxque inierint, nigros agnos generare. In Atandria duos inesse fluuios adnotauit, quorum alter candorem, alter nigritiem facit pecoribus: at Scamander amnis, quem Homerus Xanthum appellauit, flauas redddere oues creditur.

Mirabilem in conceptu imaginationis esse potentiam.

IMaginationis potentiam tam miram esse Physici confitentur, vt visa per conceptum in partu sæpissimè elucescant. Referam historiam admirandam ex Ludouico Viue 12. de Ciuitat. Dei de huius negotio conscriptam. In Brabantia Buscoducis quædam vrbs est, in qua more eiusdem Prouinciæ quodam die templi vrbis festum celebratur, quo tempore varij ludi apparantur. Sunt aliquot qui stato die diuorum personas induunt: nonnulli ve-

rò Dæmonum. Ex his vnus, cum visa puellâ exarsisset, & demum saltando sese recepisset, & arreptam vt erat personatus vxorem suam in lectum coniecisset, se ex ea Dæmonem gignere velle dicens, concubuit, & concepit mulier: cum autem in partu infantem peperisset, is simul ac primum editus est, saltitare cæpit forma quali Dæmones pinguntur.

Dentium stuporem à portulaca confestim amoueri.

DEntium stupores, qui ab acidis eduliis connasci consueuere, ex aqua aut succo vel frondibus portulacæ commansis quam citissimè dissoluuntur. Ipse cum quadam æstate tùm siti maxima, tùm dentium stupore affligerer, cõmansis ipsius frondibus & à siti & à stupore subito liberatus sum. Ab amico quodam audiui portulacæ succum collinitum absque dubio verrucas exterminare, mihi autem experiundi locus haud adhuc datus est. Ex Aphrodiseo.

Cerasorum aquam stillatitiam in Epilepsia summum esse remedium.

INfinitis experimentis Cerasorum aquam in succurrendis Epilepticis comprobari reperio: propterea à Ioanne Agricola in lib. Herbar. maxime etiam extollitur.


Quæ pro vita producenda inter arcana naturæ connumerentur.

APud rerum naturalium scrutatores acerrimos inueni, idque in arcanis Hellebori nigri folia saccharo conseruari, deglutientem ad iuglandis commista magnitudinem, inoffensam valetudinem ad senectutem vsque conseruare. Insuper silicem ignitum linteisque parum madidis inuolutum, & pedibus applicitum perniciosos valetudinis vapores extrahere.

Quo artificio in mulieribus crines densiores, & copiosiores comparare valeamus.

INter selectissima præsidia, quæ ad capillorum copiam generandam inesse creduntur, Maluæ radix connumerari potest: si enim caput mulierum lixiuio lauatur in quo elixa sit maluæ radix, & deinde succo maluæ crines inungantur, profectò vbertim prouenient, & citissime.

Finis Hortuli Genialis.



RERVM MEMORABILIVM, quæ in Hortulo Geniali continentur, elenchus.

A.

An

B

Bruta

C

Cyprini

D.

E.

F.

Familiæ

G.

H.

Hem-

I.

Inter

L.

Lunæ

M.

Natu-

N.

O.

Pisces

Q.

R.

áala-

S.

Sur-

T.

V.

Vi-

FINIS.

DE ESCV-

DE ESCVLENTORVM POTVLENTORVMQVE FACVLTATIBVS.

Liber vnus.


Laconica quidem, at varia iucundaque, medica & historica eruditione refertus. Ex Italico Balthasari Pisanelli Medici Bononiensis scripto nunc primum in Latinam linguam conuersus

AB

ARNOLDO FREITAGIO Embricensi, Rmi. & Illmi. P. ac D. Domini HENRICI-IVLII, *Episcopi Halberstadiensium Ducis Brunsuicensis & Lunæburg. &c. Medico aulico:*

Cuius περιοχὴ seu argumentum ex nuncupatoria epistola beneuolo lectori innotescet.

GENEVAE.
Apud Philippum Albert.





ANTIQVA GENERIS NOBILITATE, VIRtute, eruditione, & rerum vſu pręſtantiſsimis viris, AVGVSTO, IOANNI-ERNESTO, & LVDOVICO, ab Aſſeburg, fratribus germanis

ARNOLDVS FREITAGIVS Embricenſis, S.

AD VNIVERSA vitæ humanæ munia & functiones obeundas maximè neceſſarium eſt (ſiquidem corporis temperies teſte Galeno animi mores ſequũtur) quare & à Deo orandum, vt

ſit mens in corpore ſano, viciſsim & id optandum à ſummo numine, vt menti ſanæ contingant organa ſana, quod neque hęc illius neque illa horum adminiculis carere vnquam poſsint, ad res magnas commodè perficiendas. Corporis autem ſanitatem à primæuo ortu, naturę nobis fauore & beneficio indultã aut tuemur, ac ſartam tectãque conſeruamus, aut deperditam recuperamus. In hoc quidẽ perficiundo vnico vtimur inſtrumento, poſterius illud pluribus, quæ tamen ternario numero conſtant, perficimus. Rectæ valetudinis conſeruatio ac tutela, quæ ὑγιεινὴ Græcis eſt, & victus ratione, quam διαιτητικὴν illi nuncupant, maximè perficitur, neque alio ferè eget præſidio. at profligata, nunc victus requirit alias atque

alias leges, & alimentorum delectum, nunc à medicamentis opem postulat, nunc formidandam chirurgi, ferri item ac ignis non raro ad mali resectionem, ne pars sincera trahatur, immitis in seipsum æger, manum deposcit & vltrò implorat. De singulis fusè & latè maiores nostri prisci illi nobiles Asclepiadei scripsere, non minùs feliciter& accuratè fors & accuratius (sit venia verb o) nostri seculi homines & iuniores medici, ita, vt prope modū in arte hac nobili, chemię & destillatorię vsus dextero accessu, nihil intactum, nihil inexploratum, nihil inaccessum, si ita dicere licet, sit amplius. Meretur tamen inter scriptores peculiarem suam quisque laudem, & & ad popularem vsum se hic for-

ſitan magis accommodauit, alio.
Neque interim ille forſan alio nomine minus erit literatæ Reipub. vſui. Iure itaque habendæ omnibus qui prodeſſe cupiunt, ſunt gratiæ, atque ita erroribus condonandum, vt per veritatem proficiamus, non in hiſce ſolis diſpiciendis ceu Catones cẽſoriam ſemper virgulam vibrãtes, Lyncei ſimus. Inter haſce Medicinæ partes diæteticen ſemper facilè primam numeraui, quod omnes hac egeant, illis aliqui. quot enim licet reperire, qui pharmaceutices opem nunquam præſtolarint? diętetices ſcil. cultus aſsiduo beneficio. quot qui chirurgicen prorſus ignorãt? ad duas haſce vt plurimum ægri, ad illam, & qui beate viuunt, & qui integra perfruuntur ſani-

ſanitate,& quos diri morbi diuexant,cõfugiunt. Quo factum eſt, vt eum vtilitatem incomparabilẽ & neceſsitatem penè maximam huius Medecinæ partis tractationem, vt voluptatem taceam, efflagitare cernerem,& cæteras Medecinæ partes huius egere præſidio, hanc ſine illis conſiſtere, & ſuis fulcris niti, eamque ita ab hoc auctore, quoad alimentorum facultatem, eſſe traditam, vt à neotericorum non facilè quoquam alter, eam ex Hetruſco ſermone Latinè vertendam ſuſceperim, eique inſcriptionem de eſculentorum potulentorumque facultatibus fecerim:& vobis,nobiliſsimi viri, qui artes,qui literas,qui linguas calletis,qui has & virtutem amatis, inſcripſerim, vt ſit contractæ mihi

vobiſcum, hic labor, familiaritatis pignus, & rei familiaris quę in nobili veſtra proſapia cauta eſt, lautiùs tractandæ idoneum inſtrumentum. Animi quidem primum gratia, cùm in illuſtri Academia Iulia Helmſtadii Medecinam docerem & facerem ante annos aliquot, mihi conuerti; vocatus dein in aulam à Reuerendiſs. & Illuſtr. Principe, Domino Henrico-Iulio Epiſcopo Halberſtadenſi, Duce Brunſuicenſi & Lunæburg. &c. Domino meo clementiſsimo, ad Medicinam faciendam, fuére qui meum diutius eſſe non paſsi ſunt, ſed vt ederem mihi inſtiterunt. illis parui amicis, & rei quæ nulli non eſſet futura vſui, hoc depoſcenti. Farraginem hanc auctor ex Græcis, vt liquet, Latinis & Arabibus

bibus, & iis, quæ longo ipſe vſu exploratа habuit, in hanc conſonã-tiam & ordinem optima methodo, & pulchro-artificio digeſsit, neque præter rationem, vti qui oleracea, radices, legumina, frumẽtacea, quibus priſci ſeculo necdũ corrupto, aut vitiis & luxu eneruato, diu vitam traxerunt, frugalẽ & nullius indigam, Saturni aurea ætate & Iani beatis temporibus, vt vulgari more loquar, cæteris præmiſerit eſculentis; dein carnibus & piſcibus ſuas leges dederit, iure merito ſecundo loco, & iſta ætate qua κρεοφαγία, vetere iuſtitia & frugalitate labefactata, habenas gulæ & helluationi laxarat. Tertio ordine voluit condimenta ſuccedere, quæ vnã cum infelici noſtro ſeculo effœtis & perpetuo

quaſi maraſmo contabeſcentibus noſtris temporibus, nauſeantibus propè ægrorum more ad omnia virtutes ſcil. & alimenta paruis nobis & malignis, cibos blanditie ſua ingèrerent. quibus ſi ſaltem nos Germani vti olim, heroum tẽporib. nunc etiam carere potuiſſemus, maneret libertas priſtina, quæ ab exteris nunc impetitur, priſca fides, conſtantia, virtus, morum integritas, fortitudo; neque tantam peregrinorum malorum in dulcem noſtram patriam eluuiem & voraginem attraheremus feliciores multo futuri in frugali illa, molliùs dicta, barbarie, quam ſcaturienti òmnibus vitiis Aſiatico luxu & Sybartica comitate & mollitie. Poſtremum, ciborum vehiculo potulentis locum dedit,
omnium

omnium deſcribit alimentorum delectum, vſum, noxam, præparãdi rationem breui addita, ſed luculenta, & ita iucunda ſingulorum hiſtoria, vt neque tædio afficiat lectorem, nec quicquã quod monitu operæprecium ſit, prætermittat, & mirè interim delectet. Vtilis imprimis labor patribusfamilias, medicis, ægris, lurconibus etiam & Scholæ Apilianæ ſectatoribus, omni hominum ordini, ſexui, conditioni & ætati. Venit itaque ad vos, nobiliſsimi viri, hic meus labor ſine phaleris & fuco, vt gratior ſimul ſit & vtilior, quẽ vobis & veſtræ nobili proſapiæ tanto & gratiorem & vtiliorem omnibus votis eſſe percupio, quãtò veſtræ dignitati & honori mea

ſtudia & conatus ſeruire geſtio. Valete. Halberſtadij: Non. Iun. cIↄ. Iↄ. XCII.

V. V. N. N.
Addictiſſ.
Arnoldus Freitagius Embricenſis, Medicinæ D.



AD
CLARISSIMVM VIRtute ac doctrina præstantissimum virum, D. Arnoldum Freitagium, Reuerendissimi Domini, Domini HENRICI-IVLII, postulati Halberstadiensium Episcopi Brusuicens. & Lunæburg. Ducis Illustriss. Archiatrum.

Freitagi cupidè tuum libellum
Perlegi, ingenii libens acumen
Percepi, varios modos sagacis
Naturæ, varias & artis inde
Dotes conspicuo dabis nitore.
Vos quæ Parrhasio sub axe Musæ,
Seu quocunque tenetis orbe sedem
Musæ, cingite frondibus capillos,
Flores promite, vestra laus decusque
Phœbeo residet manetque libro.
Musas Pierides, nouũ hunc libellũ

Si digna videam bearem laude,
Tot grates dabo quàm memor, quot
herbæ
Telluris modò ſtant ſinu virente,
Napææ, Dryadeſque, Orcadeſque
Quot ducunt lepidas modo choreas.
Sic lucem voueo decuſque amate
Freïtagi cupidè tuo libello.

Ioannes VVernerus D.
Reuerendiſs. Capituli
Halberſt. ac vrbis ipſius
Medicus.

AD CLARISSIMVM VIrum, Dominum D. Arnoldum Freitagium.

Terrena terris omnia permanēt,
Metalla, gemmæ, purpura, lar, agri.
Cœlestia ascendunt Olympum
Ars, sapientia, suada, virtus
Hæc nempe tollunt pulueribus virū,
Vt tangat alto sidera vertice,
Et instar alitis per omnes
Possit humi volitare Zonas.
Hæc dum tuo sub pectore sessitant,
Arnolde, gentis gloria Belgicæ,
Te longiùs terris morari
Iā prohibent, in auēq; mutāt.
Alas adaptant en humeris tuis,
Quibus feraris per liquidū æthera,
Nascuntur en inusitatæ
Cruribus articulisque plumæ.

His trāsuolabilis culmina Bructeri,
Visens Eoi littora Nerei ,
Camposq; Riphæos , & Afros
Hesperidū peragrabis hortos.
Sacrisq; lauri frondibus insidens
Cantabis illic Ausonium melos,
Hetrusca barbaro quod olim
Gutture concinuit volucris.
Quæ nempe nostro pabula corpori
Sint sana, morbos at fugiant graues,
Quid prosit infirmo, quid obsit,
Quā faciant duo mixta crasin.
Quid, quādo, quantū cōueniat bibi,
Quod esculentum nutriat optimè,
Quæ singulorum qualitates,
Quod vitiū simul atq; virtus.
Hæc eleganti gutture dum canes ,
Stupebit ortus solis, & occidens,
Sit vnde tam venustus ales ,
Lusciniam superā s vel ipsam.
Te Thrax & asper suspiciet Scytha,

Te noſcet Iſtri potor, & Adriæ,
Ignobili te fluminum Rex
Holdemiæ Padus inuidebit.
Salue refulgens alituum decus,
Qui propter vndas Holdemiæ volãt,
Pluresque nobis cantilenas
Ambroſio meditare roſtro.
Sic parcat alis accipiter tuis,
Vllas nec auceps inſidias ſtruat,
Sed pauo te tutum periclis
Siderea tegat vſque cauda.

Daniel Saxo M. Eccleſiæ cathedralis Halberſtadienſis miniſter.





FICVS.

Delectus. FIcuum primas tenent albæ, secundas rubræ, tertias nigrę, quæ cute integuntur teneriori, facilius conficiũtur cæteris, sine cortice tamen sumantur omnes, nudæ, purgatæ, & maturæ.

Vsus. Optimè nutriunt, calculum renum tollunt, venenis resistunt, plus reliquis fructibus nutriunt, sitim sedant, pectus mundant.

Noxa. Damna. Flatus generat vsus eorum immodicus: ventriculos idcirco infestant illorum, qui colico dolori obnoxij sunt, quòd cruditates pariant.

Correctio. Noxam, si cum Arantiis, malis punicis, acidis aliisue cibis aceto conditis sumantur, facilè sustuleris.

Gradus. Calidæ sunt in primo gradu, humidæ secundo.

Tempus, Ætas, Crasis seu Temperamentum. Omni tempori conueniunt, autumno præcipuè, omni ętati, minùs tamen senili: cuiuis temperamento, modò exquisitè maturuerint.

HISTORIA NATVRALIS.

Ficus tantum alimenti non suppeditant atque frumentum aut caro. plus interim cæteris fructibus citiusque nutriunt. Maturescentes lacteum præbent succũ, cum maturitatem consecutæ sunt, frumẽti quid instar, percocta vero mel. Constant ex semine, cortice & carne seu pulpa. Semẽ nõ nutrit: sed instar lapidis est. cortex ægrè digeritur, caro affatim nutrit. Esui ficuũ frigida superbibitur, quod tẽperamento sint calidiori, eadem prorsus ratione, qua post frigidorũ fructuũ esum vinũ potamus. Impinguãt, colori gratiã conciliãt coitũ stimulãt, optimè maturæ innoxiæ sunt. Siccæ tussim tollũt, quod glutinosæ sint. cũ nucibus & amygdalis rectè ficus estur. hac enim ratione obstructiones magis aperiunt, & si quid natiui habẽt vitij, deponũt, sanitatique cõueniũt. Renes purgãt nullo vitio imbutos nõ morbis obnoxios. abstergendi enim illos à viscosis humoribus insignem facultatẽ obtinẽt: flatibus ventrem implẽt. Calidæ sunt secũdo gradu, siccæ medio primi. sudorẽ multis eliciũt, pediculos gignũt. Arbor ipsa ob paucitatẽ radicũ citò consenescit. fructus inodorus est.

V V A.

Delectus: MAtura, alba, dulcis, teneri cute delıgatur. hæc enim promptè permeat & minus flatuum gignit.

Vsus. Probè nutrit, pinguefacit, refrigerat inflammatum iecur, vrinam cit, venerem suscitat.

Damna. Sitim flatusque gignit, ventrem turbat, colicos dolores generat immodicus eius vsus, lienem in tumorem attollit, eidemque dolores conciliat.

Correctio: His malis occurritur, si cibi saliti, punica mala, arantia aliaue id generis acida, aut cum aceto condita, iis superedantur.

Gradus. Calida est in primo, humida in secundo gradu, temperata interim sine excessu.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Conuenit autumno & veri, debita quantitate ac ratione sumpta, conuenit omni temperamento & ætati, excepta senili. in hac enim defluxiones auget.

HISTO-

HIST. NATVRALIS.

IN Vuæ esu Vnica cautione opus est, ne folliculos deglutias aut Vinacea, concoctionem namque impediunt, & excrementorum descensum remorantur. Neque aqua niue refrigerata superbibitur, ne dolores generet colicos. Alba uua nigræ præstat, Velociter enim pertransit. A Vite per aliquot dies decerpta & suspensa deponit naturam flatulentam, & euadit præstantior. Quo plus maturuit, eo minus nutrit. Indicio sunt Vinitores nutrire Vuam, quod cum Vindemiæ tempore Vix alio cibo Vescantur, corpulenti tamen euadant. Pectori conueniũt & pulmoni Vuæ passæ dulces, sanum iecur impinguant, nocent scirrhoso. idem iudicium esto de liene. Vtilis est Ventriculo intestinorum torminibus, renibus & Vesicæ, obstructiones aperit, affatim nutrit. Acerba minus nutrit, constringit magis. Quæ nullis constat Vinaceis, reliquis præfertur: pectori & tussi optimè conuenit.

MELONES, SEV MELOPEPONES.

Delectus. SInt exquisiti odoris & saporis, & qui palato arrideant, recentes, maturi, quos à deterioribus solus gustus diiudicet.

Usus. Euidenter refrigerant, abstergunt corpus, vrinam cient, atque ob id frequens eorundem vsus præseruat à calculo vesicæ & renum, sitim sedant, orexin excitant.

Damna. Flatus gignunt & tormina ventris, quo fit, vt colicis deuitandi sint & magnis lienibus præditis.

Correctio. Vitium deponunt si vetus vnà edatur caseus, si cibi saliti, si generosum vinum superbibatur, & aciduli cibi comedantur.

Gradus. Frigidi sunt principio secundi gradus, humidi in tertio.

Tempus, Ætas. Crasis. Calidis omnique ætati conueniunt, præterquam senio, nocent autem phlegmaticis & melancholicis.

HISTOR. NATVRAL.

Melonum oblonga alij ac tereti forma sunt, & vocantur Melopepones. alij rotundi pepones, aut generis nomine Melones nuncupantur. Primi generis pulpa, quæ semen continet, edulis est, postremi non item, neque eam merentur laudem quam primi, quod succo constent crasso & viscoso, qui superficiei supernatando ad latera sese circumquaque diffundat, quod longioribus non euenit, quibus quod facilè diffluat humor, lentorem tamen amittit. Abstergendi facultate esse præditos hinc liquet, quòd sordibus corporum affricatus Melonum succus, nitidiora euadãt. Ieiuno edantur stomacho nam facilè cõficiuntur, minimo etiam labore in humorem ventriculo contentum facescunt. Euchymi illis cibi superedantur. Græcè πέπων dicitur, quod nobis maturum significat. Spartianus Hostienses Melones cæteris præfert, quòd suo seculo fors in pretio fuerint.

PRVNA.

Delectus. Optima sunt, quæ in suo genere rectè maturuerint, membrana autem tenera, dulci sapore, nulla asperitate prædita, non astringant, ante solis ortum ab arbore decerpta.

Usus. Purgant bilem, calorem obtũdunt, refrigerant & humectant corpus, sitim tollunt, orexin excitant.

Damna. Qui debili & frigido sunt ventriculo, à prunis abstineant, quòd aquosos humores generent. Nocent & decrepitis ac pituita multa refertis.

Correctio. Vnde saccarum rosarum rectè iis supereditur, aut aromaticum rosatum, ac salitis cibis iure optimo præponuntur.

Gradus. Frigida sunt principio secundi gradus, humida in fine tertij.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Conueniunt calidæ aëris constitutioni, iuuenibus, biliosis & sanguineis.

HISTO-

HISTORIA NATVRAL.

PRuna in febribus ardētibus summè laudantur, quòd sitim leuent, ardē-tem & ebullientem bilem compescant, & per inferna purgent. Colicis pruno-rum esu interdicitur, quia aquosa & latulenta sunt. Decrepitis item, nisi vi-ni veteris & odoriferi haustum super-bibant. Manifestè namque stomachum efrigerant. Candida duriori cæteris nteguntur cortice, ob id difficiliùs dige-untur. Omnes in vniuersum debilitāt & relaxant ventriculum. Cumque cor-ori parum aut nihil alimenti confe-ant, primæ mensæ adhibeantur, dein uchymi cibi superedantur, generosum-ue vinum superbibatur. Damascena eliquis præstant omnibus, à Damasco yriæ nomen traxerunt, quæ optimo-um & laudatißimorum prunorum fe-ax est. Ab immaturis, duris, acerbis, pticis cauendum quam maximè est, uòd variis modis incommodent: dulces, maturi non sine fructu assumuntur.

MORA.

MORA.

Delectus. OPtima ſunt nigra, pinguia, optime matura, nullius animantis contactu contaminata, ante ſolis ortum ab arbore conuulſa.

Vſus. Gutturis aſperiti medentur, ſitim ſedant, corpus lubricum reddunt, choleram compeſcunt, appetentiam excitant.

Damna. Stomacho dolorem conciliant, eũdemque perturbant ſi diſtento humoribus prauis offerantur, flatusque generant.

Correctio. Vino eluantur antequam in cibum cedant, ac cibi iis acerbi & acidi ſuperedantur.

Gradus. Matura calida ſunt & humida gradu ſecundo, immatura frigida & ſicca.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Calidæ conueniunt aëris conſtitutioni, iuuenibus, bilioſis & ſanguineis.

HISTO-

HISTOR. NATVRAL.

Mora in cibum non admittuntur austera, quod cruda & nondum concocta plurimos flatus gignant: at dulcia & matura grata admodum sunt ventriculo: ante cibum vtiliter ab iis assumuntur, quorum ventriculus non scatet prauis humoribus. Parum nutriunt, aluum lubricam reddunt, citò ex ventriculo & intestinis prolabuntur, & reliquos cibos vnà secum facilè descendere faciunt, summè humectant: optimè ab iis conficiuntur qui vacuo sunt ventriculo. Quod si cum niue refrigerentur, magnam vim refrigerandi nanciscuntur, suapte enim natura frigidis non miscentur. Acerba corpus astringunt. Horat. li. 2. serm. Satyr. 4. Mora his versibus laudat: ——ille salubres (ris
Æstates peraget, qui nigris prãdia mo-
finiet, ante grauẽ qui legerit arbore
solem.

A primordio fructus hic cãdidus fuit, antequã Pyrami & Thisbes cruore tinctus, ruberet. Prudentẽ Morũ appellant poetæ, quòd non nisi exacto frigore & hyeme soluta postrema arborũ germinet.

CERASA.

Delectus. PRæſtant cæteris quæ dura conſtãt carne, matura, qualia ſunt Appia aut Cæciliana Plinij, quę nobis Corbine appellantur, quorum ſuccus ſanguinis in morem inficit.

Vſus. Aluum cient, celeriter è ventriculo deſcendunt, ſitim ſedant, refrigerant moderatè, appetentiam prouocant.

Damna. Celeriter computreſcunt, ventriculum inflant, propter flatus quos generant, ſi affatim edantur, id quod maximè faciũt nobis dictæ vulgo Aquaiolanæ.

Correctio. Id mali exuunt, ſi confeſtim euchymi cibi aut ſaliti ſuperedantur vel etiam acidi.

Gradus. Frigida ſunt gradu primo, humida ſecundo.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Calidæ aëris conſtitutioni competunt, iuuenibus, cholericis: nocent ſenibus & plegmate abundantibus.

HISTO-

HISTORIA NATVRAL.

EXiguam Ceraſa vtilitatem corpori adferunt: ſunt enim aut nullius omnino, aut praui alimenti. Recentia & matura aluum mouẽt, ſicca aſtringunt: dura deligãtur ob negatã facilem computreſcendi vim quæ cæteris ineſt, inſipida vituperantur, vti & nulla humilitate prædita, quæ noſtri Aquaiola, Plinius Iuliana appellant. Cibi loco non dduntur, ſed ſitis reſtinguendæ cauſa, ere plurimùm æſtuante. A Ceraſunte Ponti oppido ceraſa denominationẽ traerunt, vnde primùm ad nos aduecta unt. Ante Mithridatem à Lucullo bel- deuictum viſa Romæ nõ fuêre. Is primùm ea 680. anno ab vrbe condita Roam ex Ponto aduêxit. Quacunque inuſtria, aut ſtudio in AEgypto culta, nec eſcere, neque fructum ferre potuêre. iſciole noſtratibus dicta ſtomacho coneniunt, choleram reſtinguunt, lentos ac naces humores incidunt, orexin exciunt, ſi cum ſufficienti quantitate ſacari coquãtur. Amarena quas maraſe noſtri nuncupant, acidula ſunt, ideòe vitreis vaſis ſaccharo condîta, crus longè præferuntur.

FRAGA.

Delectus. RVbentia deligantur, matura, magna, odora, hortensia atque satiua. Voluntaria etenim seu syluestria sua asperitate vẽtriculum offendunt.

Vsus. Sopiunt ebullitionem & acredinem sanguinis & cholerę, iecur refrigerant, sitim sedant, vrinam prouocant, & appetentiam.

Damna. Paralyticis & neruorum morbis obnoxiis obsunt, nocent & debili ventriculo.

Correctio. Prosunt si vino optimo abluãtur atque à foliis omnique eluuie repurgẽtur, ac cum saccharo multo in cibum assumantur.

Gradus. Frigida & sicca sunt gradu primo quanto maturiora, tanto sunt temperatiora.

Tempus, Ætas, Tẽperamẽtũ. Calidę aëris constitutioni, ætati iuuenili, cholericæ & sanguineæ crasi conueniunt.

GIST.

HISTORIA NATVRAL.

GRatissima sunt palato æstiuis mẽsibus fraga, quæ, quanquam veteribus medicis incognita fuerint, testante tamen experientia conueniunt ventriculo bile abundante, quòd sitim sedẽt. Vulnera conglutinant, sanguinem sistũt & fluxus, vrinam tamen prouocant. decoctum fragorum iecur plus iusto incalescens refrigerat, atque ad naturalem temperiem reducit inflammatione laborans. Idem decoctum purgat renes, in oris collutionibus adhibitum sistit catarrhum, dentes firmat, gingiuas corroborat. Vinum è fragis instillatum faciei vlcuscula & oculorũ epiphoras fluxionésque exsiccat, & visum acuit. Poetis magis quàm Medicis celebrantur fraga, fors ideo quòd minus veteribus eorum vsus innotuerit, denominationémque à collibus traxerunt variam, vt rubentia, mollia, fragrantia, humilia, vinosa, sanguinolenta, rutilantia, nuncupentur.

MALA ARMENIACA.

Delectus. SInt in suo-genere magna, optimè colorata, matura, nucleis interioribus & quæ facilè ab osse dissoluantur, gustu grata.

Usus. Sitim tollunt, appetitum proritant, vrinam prouocant, nucleus vermes necat, infusio ex aridis facta, acutè febricitantibus prodest.

Damna. Ventriculum inflant, promptè corrumpuntur, ac sanguinem multo sero diluunt, corruptionique obnoxium reddunt.

Correctio. Vitium id deponunt, si anisi semina aut cibi sale aromatibusve conditi caseusque vetus ipsis superedatur, ac generosum vetus vinum odoriferum iis superbibatur.

Gradus. Frigida sunt & humida secundo ordine.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Sub finem Maij eorum esus conuenit, ac principiũ Iunij iuuenibus cholera ac sanguinem abundantibus iisque qui robusto sunt ventriculo.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

ARmeniaca ab Armenia, vnde primùm ad nos aduecta sunt, nomenclaturam traxerunt: à Græcis Bericoccia, à Latinis Præcocia nuncupata sunt, idque vulgo præmatura sonat: sub finem enim veris inter hortarios fructus comparent: Romæ Chrysomela & albricochia appellantur. Hetruscis Bacoche & Montache: in Hispania Albriquoquas & Albergos. Gal. 2. de alimentorum facultatibus præfert hos fructus persicis quòd non tam facilè corrumpatur atque persica, cùm tamen contrarium dictet experientia & ratio. Dubitandum igitur non est, aut textum esse corruptum Galeni, aut gustu fuisse destitutum auctorem. Constat enim horum vsu relaxari ventriculum, cum è diuerso persicorum astringatur potius, adde quòd Armeniaca confestim in choleram facescunt, ac prǽterquam quòd parcè alant, praui sunt succi, ac confestim putrescunt, sanguinem multo sero diluunt, pestilentes febres procreãt, phlegma crassũ, viscosũ, progignũt in hepate, & liene. Oleum Armeniacorum inflammatis hæmorrhoidibus opitulatur, cunctæque phlegmoni.

PERSICA MALA.

Delectus. SInt fragranti odore, benè colorata, matura, & quæ facilè à nuce sua dissoluantur, nec ingrati saporis.

Usus: Fœtentem animam quæ ventriculi consensu oritur, corrigunt, odor cordis affectibus mirè prodest, folia trita atque vmbilico imposita vermes necant.

Damna. Putredini facilè obnoxios humores generant, quòd mollia sint & humida, flatusque progignant.

Correctio. Compescitur natiuum istud malum vino optimo, odorifero & aromatico, si ieiuno & vacuo edantur ventriculo.

Gradus. Frigida sunt primo gradu, humida tertio.

Tempus. Ætas, Temperamentum. Iuuenibus inter ætates, temperamenti porrò ratione cholericis & sanguineis conueniunt, at senibus, phlegmaticis, & qui debili sunt ventriculo noxam adferunt.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

PErsica quæ tenera & quæ à nuce facilè separantur, haud difficulter digeruntur: at quæ contrarium obtinent, & nucleo contumaciter adhærent, duræ tardæque digestionis cẽsenda sunt. Matura orexin excitant, si mensæ principio assumantur, neque vnquam reliquis ferculis subiungenda sunt: Optimo vino diluantur, veteri & odoro: Quo loco istud obiter monendum est, vinum quidẽ maceratione Persicorum malorũm non ob id reddi deterius, vti quod Persicorũ venenatam vim ad se attraxerit, vulgò creditum est, sed ea propter potius, quod cùm Persica porosa ac spõgiosa sint, vini spiritum imbiberint, quo fit vt vapescat & euanidũ fiat, atque ita pristinis viribus destituatur. A Persia nomen traxerunt: veteribus dulcis & maturi epithetis insignita sunt. Duracina à pluribus commendantur: quæ non decidunt ab arbore, laudabili etiam sapore, quæ cotoneum æmuletur, sunt prædita, sed vltimo loco edenda sunt.

MALA.

Delectus. Sint dulcia, grandia, colorata, & cum primis matura. Appia præ cæteris primas tenent, secundas Rosea.

Vsus. Cor confortãt, sitim tollunt, pectus dilatant, destillationes maturant, sputum prouocant, tussim compescunt.

Damna. Debili nocent ventriculo, & his qui neruorum doloribus tentantur, si præsertim cruda magnaque mole ingerantur.

Correctio. Coctione meliora euadunt saccharoque & aniso saccharo incrustato cõdita, vel si saccharum rosatum iis superedatur.

Gradus. Dulcia calida sunt primo gradu, tẽperatè humida, acida & stiptica, frigida sunt & sicca.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Autumno, & veri iuuenibus conueniunt, ac cholericis firmoque ventriculo præditis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Malorum appellatione tãquam generis, variæ veniunt species: dulcia, austera, insipida, quæ vti specie, ita & facultatibus differunt, quo fit vt & diuersum vtendi modum efflagitent: dulcia aluo lubricitando sputoque educendo cõueniunt, acerba astringendo, insipida vel (vt dici assolet) saporis fatui, nulli propè vsui, tanquã inertia, dicata sunt. Appia vocata cor confortant, aromatico sapore ventriculum imbuunt, concoctionem adiuuant, animum exhilarãt, syncopen tollunt: à Dioscoride ob saporis similitudinem Melimela nũcupata sunt. Mala Rosea secundas obtinent, quæ Epirotica Dioscoridi nuncupantur, aut orbiculata. Quæ hyeme asseruantur, præstant reliquis, quòd naturam flatulentam deponant, & palato gratiora euadant, vsibus haud priùs dicanda quàm in arbore maturuerint, praui enim ante hoc tempus sunt succi. Mala acerba & acida plurimum gignunt pituitæ, nocẽtque memoriæ, dulcia verò principio mẽsa, vel post alios cibos pro diuerso vtentis consilio assumuntur.

PYRA.

Delectus. DVlcia deligantur, matura: primas tenent muſcatellina noſtratibus dicta. Secundas glaciola. Tertias Bergamenſia. Quarto loco ſunt Buon-Chriſtianæ. Quinto Carauelle. Vltimi generis ea ſunt, quæ in hyemem culinæ aſſeruantur.

Vſus. Guſtui grata ſunt, appetitum prouocant, confortant ventriculum debilem, fauceſque ad excretionem ſtimulando, ventrem ſubducunt.

Damna. Colico dolore affectis noxius pyrorum eſus eſt, frigidum nanque ſanguinem progignunt & flatulentū: non parum etiam damni adferunt ſi cæteris cibis præmittantur.

Correctio. Noxam hanc deponunt, ſi poſt aliorum ciborum vſum aſſumantur benè matura, vel cum multo ſaccharo cōdita, & ſi vinum fragrantiſsimum iis ſuperbibatur.

Gradus. Frigida ſunt primo gradu, ſicca ſecundo.

Tempus, Ætas. Craſis. Autumno conueniunt & hyemi, omni ætati, temperamento, præterquā ſenibus, & quibus pituita moleſta eſt.

HISTORIA NATVRALIS.

Pyrorum propè infinitæ sunt species. Veteribus decantata fuere Crustumina, Falerna, Superba, Decumana, Pompeiana, Liceriana, Fauoniana, Tiberiana, & id genus innumera. nos præter recensita habemus nobis dictæ Ciãpollina, Papala, Durella, Zuccata, Vernareccia, Gentilia, pinosa, aliaque quàm plurima quæ eiusdẽ facultatis non sunt, quanquam astringant omnia. Vitandus vsus syluestrium, acerborum & Ponticorum, quæ neruis noxam adferunt. Aliis cibis substituuntur. Insipida praui succi sunt. Pyrorum semina vermes necant, atque à putredine præseruant. Notatu dignum est, dictionem nostrates Bergamot à Turcis traxisse, quibus Bergk Dominum significat, mot pyrum, quasi dicas pyrorum omnium dominum, quòd principatum inter pyra obtineat. Pyrus à pyramide arbor dicitur, quòd fastigiata in cuspidem pyramidis more assurgat. Syluestria tardè maturitatem consequuntur.

CYDONIVM.

Delectus. DEligantur ea quæ propriè malorum cotoneorum nomen merentur, parua, depressa, sulcata seu striata, flaua, lanuginosa, cæterísque fragrãtiora optimè maturitatem consecuta.

Vsus. Cor recreant, ac os ventriculi confortant, fluxus sistunt, relaxatum ventriculum reficiunt ac roborant: vltima mensa assumuntur.

Damna. Si cruda assumantur, neruis nocent, sique ante cibum confertim ingerantur, plurimis dolores colicos cient, nisi rectè maturuerint.

Correctio. Vtiliora euadunt, si cum melle optimè coquantur, vel postquam cocta sint, saccharo plurimo condiantur, aut moschi momento, vel si cotoneatum ex iis conficiatur,

Gradus. Frigida sunt primo, sicca principio secundi gradus.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Autumno conueniunt & hyemi, omni ætati, temperamento, optimè cocta & debita quantitate assumta.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

COtoneorum tria ſunt genera: primũ propriè Malum Cotoneum appellatur, idipſum præſtat reliquis: ſecundum eſt quod propriè Cotoneum dicitur. Primi generis Græcis Cydonia à Cretenſi quodam caſtello Cydone nomen traxerunt ſecundi à Dioſcoride & Galeno Struthia dicta ſunt, pyris non ſunt abſimilia: tertium genus ſpurium eſt, naſcũtur enim ab inſititiis. Cotoneorum odor corroborat, ebrietatem arcet: cibis præmiſſa ventrem ſiſtunt, & poſt cibum eũdem laxant: ſi cruda edantur, punctorio dolore ventrem lancinant coctis itaque, non crudis veſci conuenit. Ea tametſi corpus conſtringant, vrinam tamen ciẽt, ex accidenti vomitum ſiſtunt, vapores coërcent, quo minus cerebrum impetãt. Cydoniorum caro cum ſaccharo & moſcho condita melancholicos humores minuit. Galeni tempore è Syria & Iberia Romam cydoniorum caro delata eſt.

MALA PVNICA.

Delectus. DVlcia, magna, magno semine, matura, quæ facilè delibrentur, item acida, succi plena.

Usus. Dulcia ventriculo conueniunt, pectori, tussi, venerem stimulant, acida iecori calido & febribus.

Damna. Dulcia flatus gignunt ac æstum. quare in febribus non iniuria iis interdicitur: acida pectori aduersantur, dentes & gingiuas offendunt.

Correctio. Vna species alterius damna cōpescit, ideirco vtriusque acini confusi eduntur.

Gradus. Dulcia temperatè calida sunt & humida, acida frigida cum leni quadam astrictione, quam stipticam nominãt, in secundo gradu.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Dulcia hyeme omnibus competunt, acida æstate cholericis & iuuenibus, at senibus inimica sunt, quòd thoracem constringant.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

MAla Punica Granatorũ nomẽ à granorũ multitudine sortita sunt, non à Granatensi in Hispaniis regno, vt plurimi autumant. nam illud à granatis potius nomẽ desumpsit, vnde & in insigniis regni malum gerunt Punicũ. Triũ sunt generum, dulcia, acida, & vinosi saporis. Vinosa illa sũt, quæ vulgò Agrodolci, perinde atq. si acidodulcia dicas: vocantur nonnullis Schiani, Hetruscis Vaiani nominantur. Acida dulcescunt, si arboris radici fimum porcinum circũfodias, aut humanum, cum vrina veteri. Acida æstuãtibus, biliosis, secũdæ mẽsæ adhibentur, choleram enim vehementer cõpescunt. Granatorum vinum inhibet destillationũ in subiecta viscera defluxionem, exucta semina expuuntur. AEgrotis acida exhibentur, impediũt enim vaporum ad caput exhalationẽ: dulcia frigidis, acida calidis vtiliter dantur. Acida sanis astringũt corpus, ægris minimè. Paulo AEgineta attestante, Soleritana magnitudine, Tiburtina vincũt copia. Si quis tres mali Punici flores exiguos esitarit, tutũ fore aiũt toto anni decursu à quocunque oculorum affectu.

SORBA.

Delectus. Sint crassa, odorifera, optimè matura, expertia omnis corruptionis, suspensa, vel in stramine aliquandiu asseruata.

Vsus. Si cibo præmittantur, sistunt fluxus: decocto si pudendum muliebre colluatur, arctius redditur: anhelitum commendant, si post cibos reliquos edantur.

Damna. Concoctionem nonnihil remorantur, immodico vsu ventriculum grauant, & crassos humores generant.

Correctio. Tollitur id vitij, si mellis fauus iisdem superedatur.

Gradus. Frigida sunt primo gradu, sicca tertio.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Autumno conueniunt & hyemi, iuuenibus & calida corporis constitutione præditis, si moderatè assumantur.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Sorba tam domestica quàm syluestria in astringentium medicamentorum recensentur numero, ideoque Galenus vetat alimenti loco ea sumere. crassum enim, exiguum & melancholicum succũ suppeditant: at optimus eorundem in re media vsus est, vbi vehementer astringendi consilium est. Sorba immoderatũ vomitum sistunt, roborant vẽtriculum, si exigua quantitate edantur. Oris halitum commendant, omnemque fluxum cohibent. Post reliquos cibos esitantur, non antè, more omnium quæ astringunt, exigua tamen quantitate, ne concoctioni officiant. At si cui astringendi consilium est, is ea ante cibum adhibebit.

MESPILA.

Delectus. SInt magna, pulposa, nucleis exiguis, quæque vel aëri exposita, aut in stramine asseruata probè maturuerint.

Vsus. Arcent ebrietatem, fluxus sistunt, ventriculo grata sunt, compescunt vomitum.

Damna. Tardè conficiuntur, concoctionem aliorum ciborum remorantur, nimiusque eorum vsus ventriculum onerat.

Correctio. Vitium hoc adimitur, si penidia aut saccharum violarum, aut candum aut glycyrrhiza, aut id genus thoracica superedantur.

Gradus. Frigida sunt & sicca primo gradu.

Tempus, Ætas, Tẽperamẽtũ. Hyemi competunt, iuuenibus, cholericis & firmo ventriculo præditis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

DVas enumerat species Mespilorum Dioscorides. Primi generis Aronia nuncupat, eaque suauis gustus esse, tribusque constare nucleis, quæ Zaror Arabibus vocantur, ac nobis Azzarole. grata admodū sunt gustui, mulieribus præsertim grauidis, non modò quòd palato arrideant, verumetiam quod ob acidulum saporem picæ eas biberent. ideoque saccharo codita, exquisitum fiunt eduliū. Secundū genus sunt nobis vulgata, quæ minus grata sunt, Azzarole vulgò dicta, neq. tribus vti ista (quæ ea propter Tricocco dicta sunt) constant ossiculis, sed quinque. Vulgatior Mespilorum in re medica, & maior quàm cibaria vsus est, aluum astringunt, vomitum sistunt ac fluxus, vrinam prouocant. Nuclei in puluerem redacti si cum vino albo bibātur, in quo petroselini radices cocti fuerint, mirum in modum calculos renum expellunt. Tardè ad maturitatem perueniunt fructus: flores ac frondes astrictoriam facultatem obtinent.

NVCES.

Delectus. MAgnæ ſint, longæ, maturæ, quæ facilè à nucleo auellantur, cumprimis autem recentes non carioſæ.

Vſus. Reſtituunt ſtupefactos dentes: cum ficu & ruta eſitatæ à lethalibus venenenis hominem vindicant, & lumbricos ventris necant.

Damna. Gulæ, linguæ, & palato nocet importunus eorum uſus, maximè ſiccorum, quæ tuſsim inuehunt, & capitis dolorem cient.

Correctio. Quare recentes in vino maceratæ edantur, exigua quantitate, cum modico allii.

Gradus. Reſiccatæ calidæ ſunt tertio gradu, ſiccæ ſecundi principio, virides magna abundant humiditate, exiguóque calore præditæ ſunt.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Hybernis menſibus conueniunt, ſenibus, niſi anguſto thorace, itē phlegmaticis & melancholicis.

HISTORIA NATVRALIS.

NVces iuglandes Latinis nuncupantur quasi Iouis glandes. Cùm enim priscis temporibus maiores nostri glandibus vescerentur, ac nucibus demum repertis, has multo delicatiores glandibus comperirent: καὶ ἐξοχὴν Iouis glandium nomine eas dignati sunt. Vbi inueterascunt, humiditatem deponunt, recentes minus noxæ habent, affatim tamẽ sumptæ cruditates generant, cephalalgias, vertiginem & sitim. Ex nuce, cæpa & sale fit cataplasma contra rabidi canis morsum. Quanto magis inueterascit nux, tanto euadit oleosior: vtraque & vetus & recens tussim generat. Vetus ita corrigitur, si per noctem in aqua calida maceretur, ac dein à cuticula emũdetur. Condîta cum saccharo vel melle nuces frigido cælo, ventriculo calefaciendo apprimè vtiles sunt.

AVELLANÆ.

Delectus. MAgnæ deligantur, parum calyce contectæ, ſucci plenæ, à vermibus non corroſæ, nec quoquo modo contactæ.

Vſus. Plus iuglandibus nutriunt, cerebrũ augent: cum melle coctæ ſanant antiquam tuſsim. toſtæ & cum pipere comeſæ catarrhos maturant.

Damna. Ventriculo nocent, ægrè conficiuntur, plurimum choleræ gignunt, capitis dolores cient, ſi affatim edantur.

Correctio. Recentes comeſæ, & in aqua aliquãtiſper maceratæ & poſt cibos ſaccharo conditos omnem noxam deponunt.

Gradus. Recẽtes temperatæ ſunt prima qualitate: ſiccæ verò calidæ & ſiccæ ſunt in fine primi gradus.

Tempus, Ætas, Tẽperamentũ. Moderatus eorum vſus ſolis iunioribus, robuſtis & laboribus deditis hyberno tempore conuenit.

HISTO-

HISTOR. NATVRALIS.

AVellanæ, Græcis Ponticæ, quòd è Pōto teste Plinio, ad nos primùm deuectæ sint, Latinis auellanæ, frutices autem coryli nuncupantur. Fructus nobis Nocelle, Auellanæ, Nocchiæ, & Neopolitanis Antriti dicuntur. Vomitum vti iuglandes non prouocant, neque corpus astringunt: flatulentæ sunt, & quãuis tardè digerantur, vtiles tamen sunt epati. Si cum ruta ac ficubus siccis ieiunæ esitentur, à peste præseruant, & morsibus serpentum. Vsu compertum est, serpentes si cum coryli virga cædantur, obstupescere ac mox emori. Ex coryli ligno Romæ materiarii, schidia acramenta, quæ voce sua Tacchiæ nominantur, conficiunt, quæ vino recenti turbido imposita viginti quatuor horarũ spacio limpidissimum istud reddunt.

OLIVÆ.

Delectus. OPtimè condîtę, locis apricis natę, magnæ, quales sunt Bononiẽſes, quæ cùm oleo conficiendo inutiles ſint, muria condiuntur, ac ſapidiores euadunt.

Vſus. Pituitam è ventriculo abſtergunt, & appetentiam conciliant: muria qua condiuntur, ſi os colluatur, gingiuas laxas aſtringit, ac mobiles firmat dentes.

Damna. Capitis dolorem gignunt, aut caput affatim comeſę grauant, in primis ſale maceratæ, ac vigilias conciliant.

Correctio. Cum aceto itaque, non ſale condîtæ, vtiliter ſecunda menſa inter alios cibos eduntur, quæ natiua adhuc viriditate præditæ ſunt, optimè cõdîtæ.

Gradus. Salſæ calidæ ſunt ſecundo gradu, cæteræ temperatæ, aſtringentis ali quantulum facultatis obtinẽt & cor roborantis.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Frigido cælo, omni ætati, temperamento, cum aceto, aut muria, nõ item ſale condîtæ conueniunt.

HISTO

HISTORIA NATVRALIS.

TAmetsi syluestres oliuæ vrbanis sint minores, gustu tamen his præstant, quod ab auibus discimus, quæ has domesticis præferunt. Trium sunt generum, quarum eæ primas tenent quæ grandiores atque oleo conficiendo inutiles sunt. Muria condiuntur cum fæniculo, atque ita in peregrinas regiones exportantur. Quæ ex Hispaniis aduehuntur, Italicis maiores sunt: at nostra condiendi ratio, Bononiensium potissimùm, multis nominibus Hispanicæ conditur æ præstat: præterquam enim quod illorum oliuæ coriũ sapiant, flauæ sunt, visu abominabiles: cùm nostræ naturali viriditate præditæ sint, quasi primùm ab arbore decerptæ. Parum alimenti conferunt & tardè cõficiuntur: sale conditæ pituitam incidũt, cibi fastidium tollũt, sanguinem ob ascititiam à sale acrimoniam, incendunt. Quæ in aceto asseruantur, bilem compescunt, vomitum sistunt, ac longè reliquis præferuntur.

PINEÆ.

Delectus. DEligantur è pineis domesticis fœminis desumptæ. Sapore enim cęteris præstant, pręsertim si sint recentissimæ.

Usus: Plurimùm nutriunt, impinguant, pectus ab eluuie mundant: cum melle coctæ, vrinam cient, restaurant debilitatos, viresque reparant, corruptos humores tollunt.

Damna. Tardiùs conficiuntur, crassumque nutrimentum suppeditant, ventriculum rodunt & ventrem, si copiosiùs esitentur.

Correctio. Id mali deponunt, si calidæ macerentur horæ spacio, & si cum melle dein à phlegmaticis edantur, à cholericis verò & calidis cum saccharo.

Gradus. Calidæ sunt principio secundi gradus, humidæ primo.

Tempus. Ætas. Temperamentum. Frigido aëre phlegmaticis competunt, senibus, si cum melle assumãtur: iuuenibus porrò, si cum saccharo.

HISTOR. NATVRAL.

SEmen genitale vehementer augent Spineæ maximè si quatuor guttæ olei è pineis sorbili ouo impositæ deuorentur, ideoque libidinem stimulat. Renum superfluos humores purgant, vti & vesicæ: ardori item & vrinæ stillicidio subueniunt. Asthmaticis & paralyticis vti & tremulis auxiliantur. Pulmones expediũt pulmonumque vlcera compescũt, eorundémque putrilaginem & viscosos humores expectorant. Inueteratæ corpori impactos humores pellunt ac naturales augent, viscerum humores corrigunt, erosiones ventriculi coërcent. Cholericis tamen eorum vsu sine saccharo, & phlegmaticis sine melle interdictum sit, sintq. primò in aqua tepida maceratæ, omnem deponunt acrimoniam, cæterasque prauas qualitates. Fructus pineæ arboris Græcis πιτύδες dicuntur. Si cacumina arboris amputentur, fructum in posterũ non facit, ac mox emarcescit arbos, neq. amplius germinat. Vnde Crœsus se Lãpsacenos ad instar pini arboris extirpaturum minabatur.

PISTACIA.

Delectus. PIstacia magna deligantur, odora, quæ Terebinthum fragrantia æmulentur, à vetustis arboribus decerpta, saturata viriditate, quantum fieri potest, recentissima.

Usus. Iecoris obstructionibus mirificè prosunt, pectus ab eluuie expediũt, renes & ventriculum roborant, nauseam cõpescunt, serpentum morsibus medentur.

Damna. Pueris & calido temperamẽto præditis obsunt, extenuant siquidem eos, sanguinem inflammant & vertiginem accersunt.

Correctio. Quo fit vt principio & fine mensæ vnà cum chrysomelis aut saccharo rosato edenda sint, aut hæc illis superedenda.

Gradus. Calida sunt & sicca secundo ordine secundi gradus, teste Isaaco lib. 2. de victus ratione.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Frigido competunt tempore phlegmaticis: nocẽt iuuenibus & cholericis.

HISTORIA NATVRAL.

Terebynthi genus est Pistacea teste Mathiolo in suis commentariis, vbi arborem hanc, Indorum à Theophrasto descriptum Terebynthum esse asserit, suam Athenæi auctoritate confirmans sententiam. Odore sunt aromatico, ventriculum roborant, iuxta Auicennam, tametsi Galenus hæsitare videatur. Venerem mirè stimulant parum alunt tametsi impinguēt. In AEgypto proueniũt & Syria, vnde Venetias asportantur. Paucis ab hinc annis fructus in Sicilia protulerunt: ex vino pota venenis resistũt. Agricolæ aiũt nasci ex insito amygdalæ ramo lentisco arbori pistacea. Lucius Vitellius Censor primus in Italiam pistacea intulit, Tiberii Cæsaris primis Imperii annis, cùm legationem obiret in Syria. Ventriculo propter austeritatem & astrictionē corroborando idonea sunt. Fistici & Festuci Latinis (Barbaris tamen) indigetantur.

DACTYLI.

Delectus. DVlces ſint non aſtringentes, maturi, intrinſecus non corrupti, corroſi aut carie excſi.

Vſus. Impinguāt, hepati amici ſunt, tuſsi conueniunt ventrem ſubducunt.

Damna. Dentibus nocent & ori, proritant, ac produnt ficos ani, vētriculum mordent, caput dolore infeſtant & hepar obſtruunt.

Correctio. Cocti itaque edantur, aut ſaccharo conditi, more aliorum fructuum, aut crudis ſuperedantur cibi acidi, aut aceto conditi.

Gradus. Calidi ſunt ſecundo gradu, humidi primo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Nulli ætati, temporis conſtitutioni, temperamento, conueniunt, niſi ſaccharo condiantur.

HI-

HISTORIA NATVRAL.

Palmarum copiosus in AEgypto prouentus est, & in Iudæa. Fructus in Italia ad maturitatem non peruenit, in Hispaniæ maritimis locis non dulcescit, sed asperitatem quandam obtinet, & gustu est ingrato præditus. In quibusdã oriẽtis partibus vinum ex dactylis conficitur, nonnullis etiam panis. Innumeræ palmarum species sunt, adeo vt 49 propemodum recenseantur. Onerum impatiens hæc arbor est, adeóque contra pondera eluctatur, vt neque incuruetur, neque subsidat, verum contra onera secum in altum sustollat, ac rami eos sursum eleuant, qui se deorsum trahere nituntur, vnde in hieroglyphicis victoriæ emblema est. Sanguinem gignunt dactyli, qui facilè in choleram facescit, valdè nutriunt dentes corrumpunt nisi confestim emundentur, ac benè colluantur. Crudis inferciunt corpus humoribus, è quibus demum longæ & malignæ oriũtur febres, succus dactylorum adeo lentus & tenax est, vt non hepar modò, verumetiam lienem cunctaque viscera & venas obstruat.

AMYGDALÆ.

Delectus. PReferũtur cæteris quæ dulces sunt, recentes, non iniuria temporis corruptæ, quæ calido solo prouenerint, optimum id genus est quod Ambrosinum dicitur.

Vsus. Copiosum alimentum suppeditant, impinguant, visui conducunt, semen genitale augent, sputum educunt, pectus purgant, & somnum conciliant.

Damna. Nimium siccæ ægrè conficiuntur, diu hærent in ventriculo, capitísque dolorem inducunt.

Correctio. Vtiliter æstate teneræ adhuc, & lacteo succo turgidæ, in cibum assumũtur à cortice delibratę cum multo saccharo, quo facilius descendant.

Gradus. Dulces tẽperatè calidæ sunt, & humidæ primo gradu remisso, amaræ, siccæ, secundo.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Omni tempori, ætati, constitutioni, modo recentes sint, conueniunt, absq. cortice, cum saccharo assumptæ.

HI-

HIST. NATVRALIS.

AMygdalis frigida loca inimica sũt, quo fit vt copiosius in Apulia & Sicilia prouenıant, quàm vspiam alibi in Italia, indeque affatim exportantur, atque in omnes orbis partes deuehuntur. Viridibus vescuntur veris principio matronæ grauidæ, quod orexim excitent, ac nauseam tollant. AEstate item edũtur, tenello adhuc existente nucleo, quo tempore gustui admodum grata existunt. Sub finem Augusti toti anno asseruandæ, colliguntur. Dulces cerebri substantiam augent, suauem conciliãt somnum. Vreteres expediunt, atque emaciatis conueniunt. Hepatis obstructiones aperiunt, lienis & venarum asperam arteriam leniunt, sed quia moram in ventriculo trahunt cum saccharo commodè sumuntur. Pectus ac Pulmones emundant. Amaræ Ebrietati resistunt ieiuno ventriculo 6 aut 7. comesæ. Phyllis in Amygdalum transformata creditur.

CASTANEÆ.

Delectus. MAgnæ deligantur, ideoque Maroneæ præferuntur reliquis: adde quod postquam fuerint collectæ, si diu asseruentur, gratiorem saporem adsciscant, & sanitati minus nocuæ euadant.

Vsus. Venerem ob flatulentam naturam stimulãt, validi & optimi alimẽti sunt, fluxus sistunt, cum melle & sale subactæ rabidi canis morsui medentur.

Damna. Nimius eorum vsus capitis dolores accersit, flatus gignit, aluum sistit, ac ægre conficiuntur si crudæ edantur.

Correctio. Salubriores igitur sunt, sub prunis aut calidis cineribus tostæ, ac sale & pipere, aut multo etiam saccharo comesæ.

Gradus. Calidæ sunt ordinis secundi gradu primo, siccæ vero secundo gradu.

Tempus, Ætas Tẽperamẽtũ. Frigido aëri, omni ætati & temperamento conueniunt, modò legitimam maturitatem adeptæ sint, si probe coctæ, neque plus iusto ingurgitentur.

HI-

HISTORIA NATVRALIS.

GLandium primas tenent castaneæ, quæ omnium syluestrium fructuũ effatu dignum corpori alimentum præbent, neque iccirco tamen in vsum quotidianum admittuntur. Frigida loca amant, quo fit vt in montibus præstantiores, quam in planitie prouenian. Qui frumenti laborant penuria, castaneas in cratibus siccatas in farinam redigunt, qua subacta panis defectum supplent. Qualitates calidam & siccam produnt dulcedo & sapor. Prunis tostæ minus flatulentæ euadunt, & vomitum sistũt, optimi & copiosi alimenti sunt, si probè a ventriculo conficiuntur: cum saccharo choleram compescunt, cum melle phlegma. Non sunt in sartagine flammæ amburendæ, quòd ex eiusmodi fumo suffocantem quandam qualitatem contrahant, sed prunis primùm torrendæ, dein cineribus impositæ, ad aliquod tempus excoquendæ.

TVBERA.

Delectus. MAgna sint, & crassa mēbrana, granulis insignita, dura recentissima, nulli putredini obnoxia, admodum odora intus nigricantia, atque hæc, mares, albis quæ fœmellæ sunt, præstant.

Usus. Palato arrident, genituram augent, Venerem stimulant, suapte natura insipidi sunt, sed quemuis adsciscunt cōditurę saporem.

Damna. Humores corrumpunt, temperamēto atrabilioso prædito, & morbis atrabiliariis nocent, longo vsu anhelitum inficiunt, flatusque gignunt plurimos.

Correctio. Quocirca oleo plurimo coquantur, pipere & limonum succo, ac post eorum esum generosum vinum bibatur, non lymphatum, aut pingui iuri cum cinamono incoquantur.

Gradus. Calidi sunt & humidi secundo gradu, at si cum aromatibus condiantur, calor intenditur, ac humiditate nocua destituuntur.

Tempus. Ætas, Tēperamentum. Frigidæ aëris constitutioni, iuuenibus & cholericis conueniunt, quòd crassos humores gignant, & melancholicos.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Plinius recēſet, Laërtiū Liciniū, Proprætorē Hiſpaniæ, cū Carthagini eſſet, Tuberis, in quo denarius deprehēſus, eſu primores dētes fregiſſe. Quo argumēto patet, terrā in ſe coactā ac conglobatā tubera producere. E pituitoſa cōſtāt materia, quæ arborū radicibus adhæreſcēs, vi tonitruorū in eā formā cōgulatur: ſolū amat ſabuloſū, & loca fructibus conſita: nix ſuper tuberibus nō cōgelatur. Fūgos præfert Tuberibus Martialis his verſib⁹:

Rūpim⁹ altricē tenero de cortice terrā,
Tubera boletis poma ſecūda ſumus.

Tametſi Iuuenalis qui Traiani tempore vixit, contrarium ſentiat. Semine deſtituuntur, vnde ſic vulgo in eos luditur:

Semina nulla damus, nec ſemine naſcimur vllo,
Sed qui nos mādit, ſemē habere putat.

Fungis ob id non iniuria præferuntur, quòd compertum non ſit Tuberis eſu vnquam mortalium quēque interiiſſe, quod fungis rarū nō eſt. Tuberū immoderatus vſus paralyſin, podagrā & vrinæ difficultatē tandem inducit. Qui ſabuloſo ſolo proueniunt, vti & nōnulli canes vſu edocti, qui ea è terra eruūt. Noui olim in A-

pulia rusticos, qui è vestigio natiuum tuberum locum inuenire norant.

FVNGI.

Delectus. OPtimi sunt pratenses, qui Aprili mense proueniunt Prignoli nuncupati, vel Prataioli, velut si pratenses dicas, vel qui forinsecus rubent, quos Boletos vulgus nuncupat.

Vsus. Magno sunt apud Gulones, quod orexin excitent, in pretio, & quemuis conditura saporem adsciscunt.

Damna. Stuporem & apoplexiam accersunt, & sua plurimos venenata qualitate neci dederunt, alios etiam nimius laudatorum esus suffocauit.

Correctio. Si accuratè mundati ab eluuie colorem non deponant, inde cum acerbis pyris basilicone, pane, allio, calamento coquantur, ac demum cum oleo, sale & pipere assumantur, innoxii euadunt.

Gradus. Frigidi sunt secundo gradu, & humidi tertio, ac quamuis facili negotio cōdimenti qualitatem sibi adsciscunt.

Tempus, Ætas, Tēperamētū. Nulli tempori, ætati temperamento conueniunt, quòd plus damni, quàm commodi adferant.

HISTORIA NATVRALIS.

DVûm generum fungos facit Dioscorides, innoxios & lethales, cum tamẽ vbiuis locorum varii admodum & diuersi reperiantur. Qui periculo vacant, & innoxii sunt, prignioli nostris dicuntur, vti & qui in pratis pratenses dicti, prodeunt, Horatio his verbis celebrati.

——pratensibus optima fungis
Natura est: aliis malè creditur.——

Suilli nobis dicti bonis etiã annumerantur, diligenter emundati, atque in partes secti, qui si ad caruleum puniceũ, ac nigrum calorem vergant, tanquam venenati abiiciantur, quare minimè animaduersa non pauci integris craticulæ impositis, atque his notis neglectis fungorum esu strangulati sunt. Neapoli ac Romæ lapides reperiũtur, quos si tepida rriges aqua, quocunque tempore fungos producunt, vel optimi immoderato vsu necant. Qui sale condiuntur ab omni noxa fiunt huius beneficio immunes. Eorũ vsus aut prorsus eliminandus est, aut sit mercus generoso post esum vino superbito, exigua tamen quantitate. calculos gnit fungorum vsus continuus.

CAPPARES.

Delectus. ACeto conditi sale maceratis præstant, quod minùs caloris obtineant.

Vsus. Asthmaticis, scirrhoso lieni apprimè vtiles sunt, menstrua cient, vermes necant, hæmorroides sanant, & coitum stimulant.

Damna. Sitim conciliant imprimis sale conditi, nisi ad tempus in frigidam infundantur, vt à sale rectè eluantur.

Correctio. Aceto conditi reliquis cibis præmittendi sunt, acetariorum more oleo & passulis adiunctis.

Gradus. Saliti calidi sunt secundo gradu, & sicci tertio, & aceto macerati calidi sunt primo, sicci secundo gradu,

Tempus, Ætas, Temperamentum. Temporibus, ætatibus & constitutionibus frigidis conueniunt, medicamentosi tamen magis sunt, quàm alimentosi.

HISTORIA NATVRALIS.

CApparés sale conditi, medicamentosi plus quàm alimentosi obtinent, inflammant: nanque ascititia à sale acrimonia sanguinem & viscera, ac quanquam aliquandiu in aqua infundantur tantillum tamen deponunt acrimoniæ. Multis itaque modis salitis, aceto conditi præferuntur, ac præ cæteris Geneuenses palmam obtinent, parum nutriunt, ac resoluunt, aperiunt purgant. Crassis humoribus lienem expediunt, interaneorum lumbricos interimunt, deiectam appetentiam reducunt, quia pituitam incidunt & absumunt, si reliquis cibis præmittantur. Obstructiones tollunt Ischiadicos dolores vti & reliquos iuncturarum demulcent. Sunt qui Capparibus oxymel affundant quò palato commendatiores reddant.

FOENICVLVM.

Delectus. HOrtense sit, domesticum, tenerum si recens edendum sit, vel perfectè maturum, in hyeme asseruandum: at si coctum edatur, habeat radices & geniculos teneros.

Vsus Lac copiosum producit, vrinam prouocat & mẽstrua, oculis mirificè prodest, veteres obstructiones tollit, & renes purgat.

Damna. Neutrum facilè, siue crudum siue coctum, conficitur, præsertim si affatim edatur: sanguinem enim attenuat & inflammat.

Correctio. Exigua igitur quantitate tenellum estur, frigida primò maceratum.

Gradus. Calidum est gradu secundo, siccum primo, tametsi plures in tertio ex calfacientium gradu reponant.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Omni tempore, ætati & temperamento conuenit, iuuenibus tamen & cholericis parua quantitate assumatur.

HISTORIA NATVRALIS.

ANgues fœniculi eſu ſenectā exuūt, ac oculorum hebetationi medentur: Vnde etiam ad homines in ſimilē vſum fœniculum promanauit ex affricatione illa oculorum quæ fit à ſerpentibus. Semini praua quædam imprimitur qualitas, quæ vermiculos quoſdam venenatos producit, quorum venenum à multis creditū eſt nullis euinci alexiteriis: quo factum eſt, vt vmbelli aperiantur, ac diligenter concutiantur, quo à vermibus emundentur, ac dein in frigidam ad temporis aliquod ſpatium macerentur. Hepatis & ſplenis obſtructiones aperit, vti pectoris & cerebri. Modicè aſſumēdum eſt, quòd ſanguinem vberiori vſu inflammet, ac calculum tandem generet. Nam cùm vehementem aperiendi vim habeat, craſſas in vreteres & pituitoſas materias deuehit, quæ in meatibus vrinariis coguntur & condenſantur.

ASPARAGI.

Delectus. SInt domestici, nuper sati, quorum cacumina iam terram versus declinent.

Usus. Renum & hepatis obstructionibus prosunt, coitum stimulant, emolliunt aluum & vrinam prouocant.

Damna. Frigidi si edantur, nauseam mouẽt, & propter amatorem cholericis bilem in ventriculo nonnihil augent.

Correctio. Si elixorum primum decoctum reiicias, amaritudinem deponunt, inde oleo, aceto, sale & pipere bene conditi vtiles sunt.

Gradus. Calidi sunt primo gradu, & humidi temperatè, tametsi Galenus de agente ipsorum qualitate ambigere videatur.

Tempus. Ætas, Tẽperamentum. Cuiuis ætati & temperamẽto, cumprimis senibus & frigidis conueniunt.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Asparagi plus cæteris oleraceis nutriunt: ac si calidi, ac bene conditi comedantur, prosunt ventriculo. Renes à sabulo emundant, neque tamen vltra modum calefaciunt. Magni in mensis fiunt, præsertim si grandes sint & tenero caule. Dioscorides ait, asparagos gestatos mares & fœminas steriles reddere, cùm tamen vsu compertum sit, Venerem stimulare, quod copiosi alimenti argumentum est. Qui asparagorum succo illitus est, ab apum punctionibus tutus erit. Germania & Rauenna præstantissimos producunt teste Martiale:

Mollis in æquorea quæ creuit spina Rauenna,
Non erit incultis grauior asparagis.

Prouerbium Cæsari ab asparagis vsitatum fuit, cùm rei celeritatem denotare vellet, tale: Citiùs quàm asparagi coquantur. Athenienses per ph pronuntiabant, Aspharagos.

SPINACHIA.

Delectus. DEligatur quæ tenella ſit, quæ ſolo benè culto & pingui proueniat, & quæ à pluuia nonnihil irrigata ſit.

Vſus. Pectus expedit, tuſsi medetur, pulmones modicè refrigerat, aluum mouet, & aſperam lenit arteriam.

Damna. Flatus plurimos gignit, ventriculo nocet, frigido-ſeroſos humores gignit.

Correctio. Abſque aqua itaque proprio ſucco in ſartagine coquatur, inde oleo, pipere, ſucco oxalidis, & vua paſſa condiatur.

Gradus. In primo ponitur refrigerantium & humectantium gradu.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Vtilis eſt cuiuis ætati, iuuenibus præſertim & bilioſis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Bliti ea species, quæ nobis Spinachium dicitur, nota est, ac veteribus incognita, cuius caulis, folia, flos & semẽ perpetuò virent, Augusto & Martio mensibus seritur, ac septimo à satione die foliis triangularibus prouenit, quæ paulatim in sagittam deformantur, caulem cubitalem producit concauum, tenellum & fragilem. Pingue & benè cultum amat solum, patiens hyemis & frigoris. Duûm est generum, mas aliud, alterum fœmina, quæ sine semine prouenit. Sunt qui ex Hispaniis ad nos illatam autumant, at corrupta voce spagnaci spinacea dictam contra veritatem asserere ausint, cum ab Arabibus, Spanacli Serapionis testimonio, qui ita eam nominat, vocari in confesso sit. Ego à nostratibus, Italis Spinacia à Spinoso semine dicta, ausim asseuerare. Succus epotus scorpionum ictibus medetur, & contusa herba cataplasmatis loco scorpionũ ictibus cum successu imponitur.

CARDVI SEV CINARÆ.

Delectus. CArdui seu spinosæ Cinaræ optimæ sunt teneræ à cinariis prognatæ. sapore enim præstant reliquis. Cinaræ etiam sint tenellæ, non duræ.

Vsus. Palato arrident & Cardui & Cinaræ, vrinam cient, flatus mouent, obstructiones tollunt, Venerem stimulant.

Damna. Cardui flatulenti sunt admodum, capiti nocent, ventriculum onerant, concoctionem remorantur, si crudi edantur, minùs nocent cinaræ coctæ.

Correctio. Cardui cum pipere & sale mandũtur, postrema mensa, & cocti, & crudi Cinaræ in iusculo elixantur, eodem condimento quo Cardui.

Gradus. Calidi, sunt secundo, sicci primo gradu.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Vtrique vtiles sunt, cocti tamen crudis præferendi, tempori, ætati, & temperamento frigido præditis.

HI-

HISTORIA NATVRALIS.

Qvãquam carduorum plurima sint genera, tamen quos mensis dignamur, magni sunt ac cultura mangonio candidi producuntur, cum sale crudi vltima mensa eduntur, vt venerem stimulent, & vino saporem cõcilient, olim nusquam alibi quam in Sicilia prouenerũt, nunc vbique terrarum magno prouentu nascuntur. Eiusdem sunt Cinaræ generis quos Pineos, Carduos, Theophrastus nuncupat, quod Pineæ formam repræsentent, attamen hi cocti crudis præstant, si lanuginosum semen primo iis adimatur. quod reliquum est non secus atque Siculorum & Neapolitanorum Cephalioni editur. Vtrique viscera calefaciunt, flatulenti sunt, ideóque penem erigunt, aromatibus conditi natiuam noxam deponunt. Sunt qui agrestibus vescuntur, at mihi longè domestici cæteris præferendi videntur. Præstaret vtrisque coctis, quàm crudis vesci.

LACTVCA.

Delectus. OPtima ea, quę densa, sessilis ac capitata vulgò dicitur: pingui seritur solo, editur autem antequam lacte turgeat, neque aqua abluitur.

Vsus. Facilè conficitur, vincit præstantia omnia oleracea, lac fœminis auget, somnum cōciliat, gonorrhœam sedat, & ventriculi ardorem compescit.

Damna. Visum offuscat, naturalem calorem debilitat, genituram corrumpit, ac sterilitatem accersit' Veneris incendia adimit, segne corpus reddit & stomachum debilitat.

Correctio. Cum mentha & ruta aliisue herbis calidis vtiliter editur, cocta potius quã cruda, & cumprimis generosum vinum album superbibatur.

Gradus. Frigida est humida gradu secundo, ideoque calidæ ei herbæ rectè permiscentur.

Tempus, Ætas, Tēperamētū. Cœlo æstuanti, iuuenibus, & bile abundantibus, item sanguineis & calido ventriculo præditis vtiliter assumitur, ardorem enim coërcet cum aceto condita.

HISTORIA NATVRALIS.

LActucas iniquè plurimi calũniãtur, asserẽtes sanguinẽ iusto copiosiorem eas gignere. quod neq. lactuca, neq. oleraceorũ vllũ facit. Quod si quidem ita se haberet, laudẽ potius, quã vituperiũ mererentur. Aluũ porrò lactuca nec astringit, neq. mouet, neq. enim austera est, aut acerba, aut acris, aut salsa. Galenus lactucas hoc nomine cõmendabat, quòd iuueni sibi ventriculi ardorẽ cõpescuerint, seni autẽ somnũ cõciliẽt. Dũ estur, cruda lauãda nõ est aqua frigida, vti vulgò fit, optima enim quædã facultas superficiei inhærẽs lotione abstergitur, qua sublata visũ obtũdit, atque flatulentã naturam induit. auferẽdæ autẽ sunt illæ frondes, quæ pone terram sunt ac reliquas ambigunt. nã internæ teneriores sunt quibus vtiliter vescimur. ad capitis dolores ex solis ardore genitos cõpescẽdos, itẽ cõtra phrenitides & erisypeleta. Sãguinẽ ebulliẽtẽ cõpescit, Veteres post cœnã, vaporib⁹ ab ebrietate prognatis coërcẽdis & sõni cõciliãdi causa lactucis vescebãtur. moderata enim veterũ erãt prandia, cœnæ verò crapulæ & ingluuiei dedicatæ. Martialis.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum. (pes?
Dic mihi cur nostras inchoat illa da-
Aristoxenes Cyrenæus lactucas hydromelite irrigabat, vt grandiores fierent, ac gulæ magis placerent.

INTVBVS.

Delectus. QVę in hortis seritur, syluestri prę-stat: sit autem tenella quę nec dũ duriores culmos promiserit, neque lactescat & sapore sit dulcissimo.

Vsus. Hepar & membra inflammata refrigerat, sitim sedat, vrinam ciet, orexin conciliat, aëris præsertim constitutione calidiore.

Damna. Paralyticis nocet, tremulis, frigido ventriculo præditis, & concoctionem nonnihil remoratur.

Correctio. Cum nepeta & menthæ cymis seu ruta aliisue id genus herbis calidis vtiliter estur, quo malignitatem deponat.

Gradus. Frigida est principio secundi gradus, humida in fine primi.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Calido aëri cõuenit, iuuenibus, cholericis, sanguineis, & qui æstuanti sunt ventriculo.

HI-

HISTORIA NATVRALIS.

INtybus domestica frigidior & humidior est syluestri, & magis insipida, id quod syluestribus familiare est, vt acriori sapore sint prædita domesticis. Domestica hepati inflammato & ob siccitatem obstructo confert. Obstructiones aperit, sanguinem purgat, scabiem sanat, stomachi ardoribus subuenit, lactucæ prorsus naturam æmulatur. Succus intybi scorpionum ictibus medetur, quod etiam cataplasmatis more imposita herba præstat. AEstuante cælo carnis iusculo incocta vtiliter editur, calorem interaneorum & viscerum optimè compescit. Cruda vel cocta, prout ventriculi poscit robur, ad temperandum eius æstum manditur.

BORAGO.

Delectus. QVa vulgo vtimur Boragine, ea vera Buglossa est veterum, ista itaque cum floribus deligenda est.

Vsus. Sanguinem mirè purgat, cor & spiritus recreat, conualescentibus vtilis est, & viscera omnia corroborat.

Damna. Haud facilè digeritur, faucibus etiã exulceratis aduersatur.

Correctio. Elixetur in jusculo optimæ carnis, ita quippe faciliùs digeritur, omnemque asperitatem exuit, cætera sine omni noxa est.

Gradus. Calida est & humida primo gradu.

Tempus. Ætas. Temperamentum. Omni tempori, ætati & temperamento vtilis est.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

SCribit Apuleius lib. de medicament. quæ ex herbis ſumuntur, Lucanos Bugloſſan Coraginē appellare, quòd magnam cum cordis affectibus affinitatem habeat, vnde factum eſt, vt temporis tractu, dictione deprauata C. in B. mutatum ſit. iſtud habet peculiare, quòd in vino macerata ſupra modum mentem exhilaret, & corroboret, triſtitiamque pellat, & iucundis animam cogitationibus perfundat, quò fit vt veteres Boraginem reliquis medicamentis Cardiacis commiſceant. Aqua ſtillatitia ex febre delirantibus vtiliter datur, oculorumque phlegmonis conuenit, tam intus, quàm foris adhibita. Laudatiſsimum ſuccum gignit, conualeſcentibus, tribulatis, ac animi curis vexatis apprimè vtilis, adeóque mirandum non eſt, crebriorem eius vſum, de qua tot ſint decantata elogia, præſtat eadem omnia ſaccharum Boraginatū, & aqua ſtillatitia ex floribus Boraginis.

CICHORIVM.

Delectus. OPtimum est quod flores profert cæruleos, quod cum sole conuertitur, ac Heliotropij nomine insignitur, tenellum id sit, & summitates sumantur.

Vsus. Calido ventriculo & inflammato apprimè vtile est. ac supra modum iecoris obstructiones expedit.

Damna. Debili ventriculo & frigido nocet, succus exigui & praui alimenti.

Correctio. Elixetur in aqua, dein oleo & aceto in acetariis edatur, vel crudum cum nepeta aut aliis, id genus herbis calidis.

Gradus. Frigidum est primo, siccum gradu secundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Cuiuis tempori, iuuenibus & calido temperamento præditis conuenit, eumprimis tamen æstati.

HISTO

HISTOR. NATVRAL.

Cichorium in expurgando aperiendoque hepate, cætera facilè vincit medicamenta omnia, vsque adeò etiam, vt iecur vnico hoc medicamentoso alimento maximè delectari videatur. Crudum iis non editur, qui frigido sunt ventriculo & destillationibus obnoxij, sed in exquisito iusculo optimæ carnis elixum: ita enim sumptum summopere prodest. Romæ æstate Cymæ cichorij crudæ eduntur, quæ sua lingua Mazzochi nuncupant, permiscent et Nepetam, ne ventriculum offendat: macerantque allij in aceto momentum, vt palato magis arrideat: orexin excitat & potum post eius esum assumtum commendat. Cichorij genus est herba Aphaces nomine Theophrasto celebrata, quam vulgo nostrates Piscia al letto indigetant, alij porcinum rostrum vocant, dentem etiam leonis, aut dentem canis, de quo superstitiosè creditur, quod si eius succo oleo permixto corpus inungatur, gratiam ac beneuolentiam magnatum conciliet efficiatq. vt quiduis ab iisdem impetretur.

LVPVLVS.

Delectus. ASparagi primi, seu turiones à radice emergentes, frõdibus adhuc destituti, cauliculo tenello, ac leui, nõ aspero, in vsum veniant.

Vsus. Præterquam quòd laudabiles gignat humores, eosdem etiam adæquat lupulus: corroborat omnia viscera, sanguinem purum ac defæcatum generat.

Damna. Quod si frondibus & culmis durioribus conuestitus edatur, noxam infert, quandoquidem difficulter concoquitur, cùm & tenellus flatuum nonnihil gignat.

Correctio. Elixatione omnem flatulentam vim deponit, & laudatos cibos efficit magno fruentium vsu. Oleo & aceto cõdîtus plerumque manditur.

Gradus. Temperatè calidus est & frigidus, humidus verò primo gradu.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Omni tempori, omni ætati conuenit.

HI-

HISTORIA NATVRAL.

VEteribus incognitus fuit lupulus, cũ interim cæteras omnes herbas succi bonitate facilè vincat, sanguinem singulari quadam prærogatiua emundet, e-uestigio feces à sanguine per inferiora secernens haud aliter atque ramenta quæ feces vini ad dolii fundum deducunt. Efficaciter omnia viscera abstergit, & imprimis iecur: mirandum iccirco, cum tanta eius sit energia, adeo rarum nostro æuo lupuli vsum, cum vires obtineat medicas & admirandas, & citas. Magno lupulus apud Germanos & septentrionales populos in vsu est, & summo colitur studio, quod sine eius floribus cereuisia coqui nequeat. Plinius lupulum vocat salictarium: Cymæ in acetariis eduntur, ventrem emolliunt, obstructiones tollunt, florum & frondium decoctum veneno potionatos & scabie infectos sanat. Sirupus è lupulo confectus, admirandas in febribus cholericis, & pestilentibus vires obtinet.

CAROTA SEV PASTINACA RVBENS.

Delectus. QVæ rubra eſt, præfertur reliquis, modò magnis & dulcibus idque hybernis menſibus vtaris.

Vſus. Veneris illecebras promouet, lac generat, menſes muliebres & vrinam ciet, paſtinacis præfertur, obſtructiones tollit.

Damna. Pauci & praui Carota eſt alimenti, tardè conficitur, & flatulenti plurimum obtinet.

Correctio. Diu coquitur vt omne vitium deponat, cum aceto dein, oleo & ſinapi, aut coriandro condiatur.

Gradus. Calida eſt ſecundo, humida primo gradu.

Tempus, Ætas, Tēperamētū. Frigidæ aëris conſtitutioni conuenit, iuuenibus cæteriſque ætatibus, præterquam ſenili & craſſi pituitoſæ.

HISTORIA NATVRALIS.

PAstinacæ syluestris species est. Carota, sanguineo intus colore rubens, satiua autem & domestica pastinaca candida est, quæ Quadragesimalis ieiunij tempore piscium loco frigetur. Carotæ efficacia cæteris præferuntur, vtraque tamen species ciet venerem. Calefaciunt, attenuant, vrinam cient, ac prauum succum generant. Flatus gignunt, & sanguinem vitij haud expertem, quo fit vt aceto & aromatibus castigentur. Elixandæ sunt, quàm exquisitissimè: haud facilè aliàs à ventriculo edomantur. ideóque iteratò coquendæ sunt. Rubrorum in acetariis vsus est. Candidæ raporum more in carnis iusculo coctæ eduntur. Vtraque gulæ commendatur, & mensis grata est.

HISTO-

MENTHA.

Delectus. PVmila deligatur quæ in hortis ſeritur, aliàs mentha Romana nuncupata, ſummitates in vſum duntaxat veniunt.

Vſus. Ventriculo gratiſsima eſt, & eũdem vehementer corroborat maximè refrigeratum & debilem, pituitam abſumit, & appetentiam validè proritat.

Damna. Calido ventriculo & iecori nocet, admodum etenim excalfacit, attenuat & incendit ſanguinem.

Correctio. Exigua quantitate edatur vnâ cum herbis frigidis, qualia ſunt lactuca, cichorium, portulaca aliáque id genus & aëris conſtitutione frigida.

Gradus. Calida & ſicca eſt in ſupremo ſecũdi gradus receſſu, aut tertii ordine primo.

Tempus. Ætas, Tẽperamentum. Frigido cœlo, ſenibus, pituitoſis & melancholicis apprimè eſt vtilis.

HISTORIA NATVRALIS.

MEntam insigni vi pollere aduersus interaneorum lumbricos asserunt, vtpote quos enecet, si succi drachmæ pōdo exhibeatur cum semuncia acetositatis citri vel sacchari rosati, aut syrupi è corticibus citri. Singultum, nauseam, & vomitum sistit, & ventriculo cumprimis vtilis est: quod & schola Salernitana innuit hoc versu:

Nunquam lenta fuit stomacho succurrere mentha.

Syrupus è mentha plurimum ea in re præsidij habet. Appetentiam excitat, Venerem stimulat, ventrem verò astringit, pituitā potēter incidit, singultū cohibet, anhelitū cōmēdat, memoriā iuuat. cum lactuca & aliis herbis rectè acetariis commiscetur: suapte enim natura plus æquo calida & amara est. Mynthē Proserpinæ Nympham in Mentham odoriferam transformatam fabulantur Poëtæ, quòd in adulterio cum Plutone sæpius deprehensa sit. Poëtis celebratur odoræ & viridantis epithetis.

OXALIS SEV ACETOSA.

Delectus. HOrtensis sit, non agrestis, saturata viriditate prædita, foliis minime rubentibus.

Vsus. Bilem refrenat, sitim sedat, febribus ardentibus & pestilentialibus cũ-primis vtilis, appetentiam excitat, fluxus sanat.

Damna. Melancholicis nocet, ventriculum exasperat, aluum cohibet.

Correctio. Corrigitur si in acetariis cum aliis herbis, puta lactuca quæ humida, & mentha quæ calida est, edatur.

Gradus. Frigida est primo gradu, sicca principio secundi.

Tempus, Ætas, Tẽperamẽtũ. Æstiuis mensibus calidis morbis, iuuenibus, biliosis & sanguineis conuenit.

H I-

HIST. NATVRALIS.

OXalis cruda acetariis iucundè permiſcetur, ob acidulum, quo pollet, ſaporem. hinc in Lombardia vulgò herba acida nuncupatur: grata eſt palato: febribus conuenit ardentibus & peſtilentibus: validè etenim choleram placat, ſitim tollit, putredini reſiſtit ſi decocto in aqua iuſculo quis vtatur, vel ſtillatitia aqua, aut Syrupo ex ſucco acetoſæ concinnato, & ob auſterum ſaporem (Stypticum vocant Arabes) præſentiſſimum eſt in diſſenteriis remediũ, vti & in reliquis fluxibus. Appetẽtiam excitat, quare vt plurimum crudam cum pane eſitant. Veteribus fuit incognita, Græcis Oxalis dicitur. Duûm eſt generum, maior quæ præſtantior & nobilior in hortis ſeritur, Minor in campeſtribus prouenit, foliis multò eſt minoribus, cuſpide lancearum inſtar effigiata foliis ſaturatè rubentibus & ſplendentibus.

PIMPINELLA.

Delectus. PVmila deligenda est, quæ ad acetaria in hortis seritur, foliis exiguis, circrenatis seu serræ in morem in circumferentia dentatis, caule rubicundo.

Vsus. Renes & vesicam purgat, vrinam copiosè ciet, calculos & arenam pellit, vino imposita cor valde recreat.

Damna. Difficile digeritur, ventrem constipat, nonnullis etiam iecur, & sanguinem inflammat.

Correctio. Editur cruda in acetariis cum aliis herbis frigidis, quò natiuus illius calor contemperetur.

Gradus. Calida est & sicca secundo recessu, tametsi iuxta nonnullos tertium gradum attingat.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Exigua quantitate omni tempori, præsertim hyemi, senibus & melācholicis conuenit.

HISTOR. NATVRALIS.

VEteribus incognita fuit Pimpinella, tametſi herbarum nomenclatores eam ſacrifragiæ ſpeciebus annumerarint, ob calculo frangendo vires ei innatas, & arenis è renibus & veſica expellendis, præſertim ſylueſtrem, quam ob fætorem quo hircum olet, hircinum nuncupant. Satiuæ decoctum in aqua vel iuſculo factum præſentiſsimo eſt contra peſtem remedio: idem præſtat ſtillatitia, aut herba cruda, vel in puluerem redacta, & cataplaſmatis, contra anthraces impoſita è veſtigio eos ſanat, ideoque magnas aduerſus cordis affectus, vtputa ſyncopem vires obtinet, quod melancholicos humores abſumit, ſanguinem mundat, vitales ſpiritus auget, in vino præſertim macerata.

HI-

PETROSELINVM APIVM HORTENSE.

Delectus. CYmæ deligantur priusquàm floreant, aut ſemen proferant, quod odoratiores ac teneriores ſint: radices verò cum mediam ætatem attigerint.

Vſus. Vrinam & menſes validè ciet, hepar & matricem mundat, earundem partium obſtructiones tollit, ventriculo gratum eſt, decoctum verò venenis reſiſtit.

Damna. Alimenti non vndequaque laudabilis eſt, ſanguinem inflammat, caput replet & tardè conficitur.

Correctio. Cruda proin vnâ cum herbis frigidis exigua quantitate editur, cocta verò in iuſculo carnis, omnibus pulmentis & intinctis adhibetur, radix verò haud ſegniter elixanda eſt.

Gradus. Calidum eſt ſecundo gradu, ſiccum in fine primi.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Coctum omni tempori, ætati conuenit, at crudum nocet calido aëre iuuenibus & cholericis.

HI-

HISTORIA NATVRALIS.

Petroselinon veteribus hortense apium nuncupatur, omnibusque ferculis, quæ odoriferarum herbarum condimẽtum requirunt, uti etiamnum hodie, in usu fuit, tantóque præstat cæteris omnibus, quãto eius crebrior est in intinctis, pulmentis, embammatis, & id genus cõdimentis usus, ut nulla etiam absque apio mensa recte instrui posse videatur. Induratas ex lacte mammas emollit, tàm crudum, quàm coctum urinam promouet; quod semen validius præstat ipsa herba: serpentum venenis aduersatur semen, & thoracicam & flatus discutit, omniaque interna viscera purgat, eaque ab obstructionibus, & abscessibus liberat. Succi autem non admodum laudati est, sed difficulter concoquitur, & biliosa corpora inflammare creditur.

DRACVNCVLVS HORTENSIS.

Delectus. HOrtenſis ſit, & pingui irriguoque ſolo educatus, tenellæ cymæ, non per terram diſperſa folia in vſum veniunt.

Vſus. Inter eas quæ acrimonia & ſapore commendantur, herbas primas obtinet & eſt cardiaca, orexin excitat, Venerem ſtimulat & ventriculum confortat.

Damna. Hepar incẽdit, ſanguinem attenuat, ideoque minus vtilis eſt calido temperamento præditis, niſi exigua quantitate aſſumatur.

Correctio. Eſtur cum floribus boraginis, aut vnâ cum endiuia, lactuca ſiue id genus herbis refrigerantibus, quo eius acrimonia refrenetur.

Gradus. Calidus eſt ſecundo gradu, intenſo ad principium vſque tertij, & ſiccus primo.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Frigidæ aëris conſtitutioni, ſenibus & phlegmaticis conuenit, minimè verò iuuenibus & cholericis,

HISTORIA NATVRALIS.

DRacunculum hortensem ignorarunt veteres: neque enim natura, sed artificio ab hortulanis productus est, qui lini semine, cæpa, aut porro indito terræ condiunt. Aromaticum præ se fert saporem. Persuasum est rusticis, nec iniuria, à peste eum, atque omni, tàm externa, quàm interna corruptione corpora conseruare. Ad dentium & gingiuarum à frigore obortos dolores sistendos, optimo vino albo incoquunt, ac iure ore aliquandiu detento, magno in hoc affectu & felici successu vtuntur. Cardiaca admodum, caput & ventriculum corroborat, ac pituitam in iis contentam incidit. Quo fit vt orexin mirè excitet, & venerem stimulet. Calido cœlo frigidis herbis permiscetur.

RAPHVNVS.

Delectus. Tener sit, non dulcis, sed linguam potius sua acrimonia vellicans, vtpote qui efficacior sit, & frigore excoctus.

Vsus. Vrinam promouet, calculos expellit, & arenulas, tàm è renibus, quàm vesica, ventriculum excalfacit, vocem canoram reddit.

Damna. Emaciat, ructus olidos generat, tardè conficitur, caput tentat, sanguinem adurit, pediculos generat, dentibus & oculis nocet.

Correctio. Quare à cibo estur, ita enim omnẽ, dum digeritur, deponit noxam, frondes verò ac caules ante cibos assumuntur, vt appetentiam moueant.

Gradus. Calida secundo gradu est, sicca primo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Frigido conuenit cœlo, iuuenibus laboribus obnoxiis & calido ventriculo præditis.

HISTORIA NATVRALIS.

RAdix ea quæ cruda estur, Raphanus vulgo seu Raphanellus nuncupatur: Satiua sit, cibo præmitti potest, exigua quantitate, quòd ventriculum excitet, & potum palato commendet, præsertim si mediocri acrimonia prædita sit. Armoracia, quæ syluestris est, cùm calidissima sit, suas vires vehementer exerit, at nemini præterquam robustis & continuis laboribus deditis conuenit. Cibo præsumenda non est, quòd eum ad se alliciat ac suspendat, ideoque vomitui conciliando impensè vtilis est. At si reliquis cibis substituatur, cõcoctionem promouet, & vrinam ciet. Visui nocet Raphanus, liquor verò stillatitius oculis inditus affectibus eorundem subuenit. qui colicis cruciatibus infestantur, iis ob flatuum prouentum malum auget. folia ecchymosi apposita medentur.

ALLIVM.

Delectus. OPtimum censetur, quod sub Quadragesimæ initium nascitur ac acetariis inditur, quod etiam exsiccatum in vsum reponitur, multis germinibus, & nodis præditum.

Vsus. Tenellum acetariorum frigiditatem & humiditatem superfluam coërcet, siccum venenis resistit, vocem clarificat, vermes necat, Venerem stimulat & vrinam ciet.

Damna. Virtuti expultrici, cerebro, visui, capiti nocet, sitim prouocat, grauidis infensum est, inueteratos dolores suscitat, & sanguinem adurit.

Correctio. Coquitur quo ad vsque omnem exuat acrimoniam, & vires eius imminuantur: ita enim noxam omnem deponit, inde cum oleo & aceto, aliísve cibis editur.

Gradus. Calidum est quarto gradu, & siccum tertio.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Frigido cœlo competit, senibus & pituitosis, nocet iuuenibus & calida constitutione præditis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

NAuigantibus singulare præsidium est in allio, tollit siquidem putredinem, quæ ex fœtido sentinæ & aquarũ corruptarum nidore, quæque ex ciborũ corruptorum, qui melioris alimenti defectu ingeruntur, vsu nascitur Remigãtes item corroborat, iccirco à nauigantibus summo diluculo editur: nauseam item ex maris tempestate obortam compescit, viscosos incîdit humores, obstructa reserat, tussim ex frigida causa ortam sedat, ac humores incendit, caput verò affatim & crudum comesum tentat, omnem coctura deponit malignitatem, tametsi vires nonnihil coquendo remittantur. Canis rabidi morsum sanat, dolores verò inueteratos partibus olim affectis inhærentes ac delitescentes suscitat, salsum catarrhum in ventriculo absumit, hæmorrhoidibus nocet & mulieribus lactantibus.

CEPA.

Delectus. DEligitur ea quæ vdo loco enata ſit, grandis, ſucci plena, rotunda, qualis Caietanæ ſunt, quæ Romam deferuntur.

Vſus. Venerem ſtimulat, genituram & lac auget, appetentiam deiectam reuocat, & damnum, quod ex aquarum mutatione prouenit, tollit.

Damna. Crudarum nimius eſus capitis dolores accerſit; ſanguinem intendit, & mentem hebetat.

Correctio. Diſſecta in partes per temporis aliquod ſpatium in frigida commodè maceratur, inde exquiſitè coquitur, vt omnem deponat noxam.

Gradus. Calida eſt gradu tertio, ſicca ſecundo.

Tempus, Ætas, tēperamentum. Calidis temperaturis & ætati obeſt, prodeſt contrario temperamento & ætate præditis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

CEparum maximæ, & dulcissimæ sūt in Italia, quæ ex Caieta Romam deportantur, ac tota hyeme asseruantur. Incisæ ac frigida maceratæ, pyrorum in morem dulces euadunt. Crescunt & maximæ, & præstantissimæ quodam in loco Flamminiæ Massa Lombardorum dicto Rubræ candidas dulcedine superant, quæ tamen propter nimiam acredinem non nisi coctæ manduntur. Tametsi refragetur Dioscorides, & contrarium asserat, id quod fors in Græcia, & suo æuo verum fuit. Cepa humores incidit, appetentiam excitat, colorem commendat, visui nocet. alimentum porrò est incommodum his, qui solida carne sunt, & qui laboribus exercentur. Oblongæ cepæ cæteris priores sunt. Substantia cepæ est crassa & flatulenta. Hæmorrhod. aperit, colorem conciliat, Venerem stimulat, cocta tamen omnem deponit noxam atque humanis vsibus maximè idonea. Nimius eius vsus profundum inducit soporem. cum hortensi apio rectè estur.

SEPA ASCALONIA.

Delectus. SIt pusilla, æmula radici Narcisci, rubra, dura ac dulcis.

Vsus. Æstu nimio languenti stomacho succurrit, concoctionem adiuuat, appetentiam excitat.

Damna. Flatus generat, crassos humores auget, capitis dolores gignit, sitim & somnium inducit.

Correctio. Incidenda itaque est, atque in aqua aliquandiu maceranda, dein aceto forti, oleo & sale condita cum saluia trita, & apio esculenta fit.

Gradus. Calida est quarto gradu, & sicca tertio.

Tempus, Ætas, Tẽperamẽtũ. Calidis aëris, corporum, ætatum constitutionibus nocet, at ita apparata, vti supra commemoratum est, & moderatè assumpta noxam deponit.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

CEpa Ascalonia, seu Bulbus esculentus, nostratibus scalogna dictus, ab Ascalone Iudææ vico, vbi copiosè prouenit ac primùm repertus fuit, denominationem traxit. Vnde postmodum in Græciam & Italiam translatus maximis in delitiis haberi cœpit, idque prima mensa, ad deiectam nimio æstu ventriculi appetentiam prouocandam, & potum commendandum. Cum saluia & apio tritis, vti dictum est, cōditus, omnem deponit acrimoniam & odoris virulentiā vti & noxam. Latini generali dictione bulbum, aut radicem tunicatam nuncupant, facultate & viribus cepæ est æmula, Venerem stimulat, crassos & lentos humores gignit, quo fit vt nullis præterquam iis, qui valida obeunt corporis exercitia, vsui sit, ciborum concoctionem adiuuat, ac linguam inflammat, singulare præsidium ad genituram augendam esse fatentur ij, quibus in frequenti vsu est, ideoque potenter coitum stimulat.

PORRVM.

Delectus. SAtiuum & hortense sit, irriguis natū & educatum locis, aut eiusmodi quę crebrò irrigantur, sit ante omnia exiguum & tenellum.

Vsus. Vrinam & menses muliebres ciet, flatus gignit, Venerem stimulat, cum melle coctum abstergit & emundat pulmones.

Damna. Humores gignit melancholicos, caput tentat, visum hebetat, insomnia turbulenta generat, stomachum grauat, vlceribus vesicæ aduersatur.

Correctio. Hæc ei vitia adimuntur si iteratò in aqua coctum, cum oleo amygdalarum dulcium apparetur, ac dein cum lactuca, intybo & portulaca edatur.

Gradus. Calidum est tertio gradu, siccum secundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Prauum alimentum est cuiuis ętari, tempori, naturæ, rusticorum potius & agrestium, quàm aliorum cibus.

HISTORIA NATVRALIB.

Porrum omne alimenti propè genus malitiâ superat. capitis etenim dolores gignit , gingiuas corrodit & dentes, visui nocet, ventriculum rodit, difficulter concoquitur, flatibus plurimis obnoxium est. Istud duntaxat habet commodi, quòd hæmorrhoidibus inflammatis eius folia cataplasmatis more ano subdita summo præsidio sint. Maciem conciliat, sanguinem sistit narium. Porrum sub cineribus assatum antidoton est contra fungos venenatos, crapulam & ebrietatem dissoluit , neruis nocet, melancholicis humoribus caput replet, succus auribus instillatus dolorem à frigida caussa obortum tollit , dolores item colicos sanat: at agrestium hominum cibus est & laboribus deditorum. Magno veteres studio ac industria elaborârũt, ut porri capita ad instar ceparum efformarent, quam cepam sectilem nominabant, quo cultu generosiores euaderent. Modum in eam magnitudinem educandi docet Columella lib. II.

RAPVM.

Delectus. SIt tenerum, ſolo & cœlo frigido cultum: nam quod his conditionibus enatum aſſeruatur multo tempore durat, ac flatulentam vim deponit.

Vſus. Abundè nutrit, coitum ſtimulat, vrinam prouocat, viſum acuit mirificè.

Damna. Flatus gignit, & ſeroſum humorem in venis, obſtruit poros, tardè conficitur, & ventrem ſubinde arrodit.

Correctio. Corriguntur hæc vitia, ſi in aqua bis elixetur, dein priori abiecto iuſculo carnium pinguium. cum fœniculo & aromaticis coquatur.

Gradus. Calidum eſt in fine primi gradus intensè, humidum primo iuxta Arabes.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Frigido aëri, omni ætati, temperamento conuenit præterquam his qui flatibus infeſtantur.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

RApum, vt suas facultates acquirat, maximum frigus expertum sit operæpretium est, quo fit vt Brumalia, & gaudentia frigore Rapa poëtis nuncupata sint. Plinius palmam in Nursino agro prognatis tribuit. Rapa & Napi tametsi calore & forma differunt, eiusdem nihilominus sunt generis & facultatibus parum discrepant. Napi quidẽ pectori magis conueniunt, Venerem vtraque stimulant, & flatus gignunt. Rapum renes calefacit, at ventrem inflat, plurimùm nutrit, at difficulter cõcoquitur, nisi exactè elixetur & aromatibus calidis condiatur. Crudum ventriculo infensum est, stomachum vellicat, neque digeritur. Quibus torrendo vesca placet reddere rapa, atque dein aceto condita, acetariorum more assumere lignis accensis ea non solent imponere, ne ex fumo suffocantem vim acquirant, sed prunis torrent.

CVCVMIS CITRVLVS.

Delectus. LOngus, crassus, optimè maturus, lutei coloris, qui citrum maturum æmuletur.

Vsus. Æstuantem ventriculum supra modum refrigerat, sitim tollit, choleram compescit, vrinam ciet.

Damna. Difficilè concoquitur, pituitam gignit, & humores viscosos, subinde etiam virulentos, præterquam in ventriculi temperie iusto calidiore.

Correctio. Quare vtiliter cum eo eduntur cepa, dracontium, menta, ruta, piper, atque ea quæ insigni calefaciendi vi prædita sunt.

Gradus. Frigidus est in fine secundi gradus, humidus in primo tertij.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Praui sunt citruli nutrimenti, quouis tempore quauis ætate & temperamento.

HI-

HISTOR. NATVRALIS.

Citruli cucumeribus cæteris frigidiores sunt, maioremque vim quocunque alio alimenti genere quo vescimur, humorum in corpore ac venis progignendi viscosorum obtinēt, qui tractu temporis diuturnas febres, & contumaces producunt. Frigido ventriculo impensè nocent, vtpote à quo nunquam cōficiantur: & nullo ferè sunt vsui, quàm si à cortice benè emundati, atque in laminas longas, latas & subtiles dissecti aqua aliquandiu macerentur, ac dein febri ardenti laborantium linguis imponantur: sitim enim hoc pacto febricitantibus leuant, neque arescere aut nigrescere linguam, vel palatum sinunt, at sitim potius compescunt, ardorem febrilem refrenant, atque os benigno, & grato madore & humore refocillant. Quod si cum sacchoro ebullias, id potentius præstant. Cibus est rusticanus æstuanti ventriculo præditorum hominum. Qui corpori sunt imbecilliori ac delicatiori constitutione, ab hoc edulij genere abstineant.

VSA CRISPA.

Delectus. SIt hortensis ac viridis, parum matura, quæ enim maturitatem consecuta est, colore ea destituitur, & acido sapore flauaque ac dulcis euadit ex acidula.

Vsus. Acutè febricitantium pulmentis vtiliter incoquitur, grauidas mirè ab aborsu tuetur, & appetentiam conciliat.

Damna. Melancholicis nocet, ventriculum exasperat, eundem, si cruda edatur, grauat, ventrem crebro vsu astringit.

Correctio. Exactè coquenda est in optimæ carnis iusculo vnâ cum apio, ita etenim omnem deponit asperitatem & noxam.

Gradus. Frigida primo gradu, & humida est secundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Iuuenibus, calida aëris constitutione, bilioso temperamento & sanguineo præditis vtilis est, sed ventriculo debili noxam adfert.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

VVa crispa, siue marina, veteribus incognita fuit, duûm porrò est generum, satiua vna, syluestris altera: vtraque ramis est spinosis, flore albo, fructusque non racematim, sed sparsim producit: Succo est vinoso, acidulo, quamdiu immaturus fructus est, ideoque optimũ cibis condimẽtum & obsonium præstat: vbi maturuerit, flauescit ac dulcescit. Dum viret adhuc atque austera est, cibis in vsum venit, quòd acidulo suo sapore obsoniis iurulẽtis, pulmentis, atque intinctis miram quandam gratiam cõciliet. Sitim tollit, ardentium febrium choleram compescit, matura saporem mutat. Omphacij loco substituitur, putredini summè resistit, quo fit vt in pestilentialibus febribus adeóque ipsa peste alimentum simul sit, & medicamentum quòd à corruptione principes partes corporis tueatur, ac immunes reddat, vitales præsertim ac naturales. Eiusdem Ribesium est efficacia, quod baccas profert rubras.

MALVM ANERANTIVM.

Delectus. SInt grauia, bene matura, saturatè colorata & acidodulcia: nam quæ exquisitè sunt dulcia, plusculum caloris obtinent, at acida ventriculo officiunt.

Vsus. Dulcia melancholicis conueniunt, & destillationibus obnoxiis, tolluntque obstructiones. Medij saporis in febribus vtiles sunt, & deiectam restaurant appetentiam.

Damna. Acida ventrem constipant, ventriculum refrigerant, pectus & arterias constringunt, si exigua quantitate edantur, iisque cortices anerantij conditi, qui stomachici sunt, superedantur, noxam deponunt.

Correctio.

Gradus. Acida frigida sunt primo gradu, sicca secundo. Dulcia temperate calida.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Dulcia item senibus conueniunt, acida calido cœlo, iuuenibus, cholericis & sanguineis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

ANerantia vnius generis non sunt: quædam enim existunt dulcia, quæ temperatè calida sunt, pectorique amica: acida alia, quæ sitim compescunt, appetentiam excitant, ventrem validè astringunt. Medij quædam sunt saporis, quæ palato perplacent, febribus biliosis accommoda, asperam arteriam leniunt, sitim tollũt, eaque frigida sunt & temperatè sicca. Flores argentum colore æmulantur, stillatitia ex iisdem aqua, reliquos omnes odoris fragrantia & suauitate superat, colore frondes smaragdũ æmulantur, aurum fructus, vnde Aurantia denominata sunt febribus pestilentialibus resistunt. De his ita cecinit. Virgilius:

Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

Romæ Melangoli nuncupantur, Neapoli Citranguli. Cortex siccatus atque in puluerem redactus vermes necare creditur, idemque in vino sumptus à pestifera lue præseruare fertur.

MALVM LIMONIVM.

Delectus. Citrum odore æmuletur hoc malum, optimè maturum sit, benè coloratum, ab arbore aliquot diebus decerptum.

Vsus. Succus appetentiam prouocat, vomitum fiſtit, craſſos humores incîdit, & febribus malignis reſiſtit.

Damna. Ventriculum vehementer refrigerat, colicos dolores ciet, maciem inducit, atrabilioſos humores gignit.

Correctio. Moderatus & rarus limoniorum vſus ſit, cortice ſublato, maceretur in aqua & cinamomo condiatur.

Gradus. Frigidum eſt & ſiccum ſecundo gradu.

Tempus, Ætas, têperamentum. Calido duntaxat aëri conueniunt limonia, item iuuenibus, ſenibus nocent & pituitoſis.

HISTORIA NATVRALIS.

STillatitia è limonibus aqua fucis adhibetur ad detergendas è mulierum facie maculas impetigines tollit, acaros necat. Syrupus è succo febres pestilentiales sanat. Vermes interaneorum conficit, succus verò limonum cùm nondum maturuerit, cum vino Cretico sesunciæ pondo assumtus calculos renum frangit. Alimenti corpori nihil conferunt. Ventriculum enim suo acore vellicant, ventrem validè astringunt, frigido ventriculo obsunt. Exilium limonum succus calculos renum mirè pellit, vnde Neapolitanis & Genuensibus in more positum est, in paruas concisos taleolas sale aspersas, & aquæ rosaceæ momento, cõdimenti loco cum carne & piscibus edere. appetentiam excitat, & potui saporem gratum conciliat, è renibus etiam & vesica calculos validè exturbat. Neque licet facilè inuenire condimentum hoc ipso gratius.

MALVM CITRIVM.

Delectus. OPtimè maturuerit, grande ſit, natum in regione calida, neque, vt primum ex arbore decerptum eſt, eo veſcendum.

Vſus. Optimum contra venena alexipharmacum eſt, cortex concoctionem promouet, & anhelitum commendat.

Damna. Tardè conficitur, nocet his qui capitis intemperie laborant calida: ſi ſub noctem edatur, vertiginem capitis accerſit.

Correctio. Violæ itaque recentes fragranteſque, aut Zaccharum violatum recens ſuperedendum eſt.

Gradus. Cortex cum ſemine calidi & ſicci ſunt ſecundo gradu, pulpa frigida & humida. Acidum frigidum eſt, & ſiccum in tertio gradu.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Cruda citria nulli neque tempori, neque ſexui conueniunt, ſed ſaccharo condita omnibus & quouis tempore.

HISTO-

HIST. NATVRALIS.

FLatus quem citri acor gignit, corticis & seminis vsu tollitur. Cortices vestibus impositi à tineis eas præseruant, odorati pesti resistunt & corrupto aëri. Citri neque principio mensæ, neque sub finem, sed soli eduntur. Semen hæmorrhoidibus cum vino sumtum medetur, cunctisque venenis, scorpionum maximè ictibus, resistit, refrigerat, cordis affectibus opitulatur, sitim tollit & orexin excitat. Arbor fructu nunquam destituitur, & grandiores quanquam gratiores sint oculis, gustus tamen præstantia ii, qui propter Benacum lacum enascũtur, vincunt cæteros. Decoctum citri ore detentum anhelitum commendat, condîti cum saccharo edendi sunt, non crudi, ita enim præstantiores euadunt.

CVCVRBITA.

Delectus. SIt recens, tenera, viridis, leuis & dulcis.

Vsus. Vtilis est cholericis, sitim restinguendo, si cum succo omphacij coquatur, hepar refrigerat.

Damna. Frigidis nocet & phlegmaticis, flatus gignit & serosos humores, ideoque ventriculum debilitat.

Correctio. Rectè apparatur cum pipere, sinapi, aceto, aut cum herbis calidis, cuiusmodi sunt cepa & petroselinum.

Gradus. Frigida est & humida secundo gradu.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Calidæ aëris constitutioni, iuuenibus conuenit, & calido temperamento præditis.

HISTOR. NATVRAL.

PRauum corpori cucurbita prabet alimentum, illico etenim computrescit, atque in eum humorem quo onustum comperit ventriculum, facescit, haud facilè è ventriculo descendit, fatui saporis est, haud magno negotio eiusce rei, qua cum conditur saporem adsciscit, & similem ei humorem progignit. Nocet intestinis, colo præcipuè, vnde colicis doloribus procreandis obnoxia est, quòd si affatim edatur, tenesmum generat, si cruda, ventriculum grauat, cui vitio abolendo nullum vomitu præsentius remedium est. Elixa melior euadit. cucurbitæ quoddam genus in hyemem asseruatur, alimentum vulgi est & inopum. A poëtis hisce epithetis decoratur, grauis, viridis, rotunda, ventrosa, prægnans, semine farta. Latini vocant Cucurbitam, Hispani Calabazza, Zucca Itali.

BRASSICA.

Delectus. TEnera deligatur, longa, eáque quę à plantæ cacumine decerpta sit, cuius sint aperta atque diducta, non coacta & compacta folia.

Vsus. Semicoctæ ventrem subducunt, percoctæ verò aluum astringunt.

Damna. Melancholicis obsunt, æstate præsertim, quando duriores sunt cæteris anni temporibus.

Correctio. Quod si elixentur, ac dein prima abiecta aqua in qua bullierint, coquãtur in iure carnium pinguium cum fœniculo ac pipere, noxam omnem deponunt.

Gradus. Frigidi sunt & sicci primo gradu.

Tempus, Ætas, Tẽperamẽtũ. Veris laudantur initio caulium turiones, quas nostrates broccoli nominant, cætera quouis anni tempore, & quauis corporis constitutione improbantur.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

PRimi braßicarum aſparagi plus reliquis partibus humidi obtinent quo fit ut citò conficiantur. Aluum leniter coctæ lubricam reddunt, vrinam cient, quemadmodum & braſſicarum frōdes, quæ quò magis patulæ atque explicatæ ſunt, eò melius nutrimentum acquiſiere, & palato magis commendantur, calore enim ſolis iſtius modi magis excoctæ sūt. Tota planta melancholicum ſuccum generat, ideoquè ſomnos turbulentos conciliat, aſperam arteriam & pectus lenit, & crapulam abigit. Braßicarum capitatæ, peßimi, æſtate cumprimis, nutrimenti ſunt, iiſque duntaxat edendæ, qui plurimo labore exercentur, & quidem in carnis pinguißimæ iure coctæ. Idem indicium eſt de caulibus criſpis, quanquam capitatis præſtent. quòd ſi res ad earum eſum inuitet, ſtatim eiuſdem decocti iuris quantum libet ſuperbibito, quod braßicarum malignitatem corrigit.

PISA.

Delectus. RЕcentia ſint, tenella, pecoris contactu non vitiata, neque à vermibus exinanita.

Vſus. Grata ſunt palato, appetentiam excitant, pectus mundant, tuſſim ſanant, optimúmque corpori alimentum præbent.

Damna. Nocent his qui infirmis & vacillantibus ſunt dentibus, atque flatibus ſunt obnoxia.

Correctio. Cum ſale & oleo plurimo coquuntur, adiuncto pipere & ſucco fructuum acidorum, oleum amygdalarum condimenti loco admittunt.

Gradus. Frigida ſunt gradu primo, & humida temperatè.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Calidis conueniunt temporibus, iuuenibus & cholericis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Pisa parum à fabis differunt, suspiriosos autem reddunt, & molestis cogitationibus mentem fatigant. Haud ita facilè conficiuntur, optimum tamen alimentum gignunt, & aluum cient, si cum beta aliisue emolliendi vim habentibus herbis coquantur, asthmati conducunt, tussi omnibusque thoracis vitiis, si cum amygdalino oleo elixentur. Optimè coquenda sunt, vt flatulentam vim deponant. A cortice etiam delibrata æstate, cælo calido & temperamento simili præditis, edenda sunt.

FABÆ.

Delectus. LAudantur magnæ, puræ, ſplendidæ, ſine maculis, à mida non eroſæ.

Vſus. Somnum inducunt, hemicraniam compeſcunt, corpus ſaginant.

Damna. Flatuum prouentum faciunt, ſenſus hebetant, turbulentos ſomnos gignunt.

Correctio. Quæ vitia vt exuant, cum ſale & origano à cortice delibratæ, eouſque coquendæ ſunt, dum prorſus tenereſcant & coctione diſſoluantur.

Gradus. Frigidæ ſunt primo gradu, ſiccæ ſecundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Cœli conſtitutioni frigidæ conueniunt, duro & agreſti victu aſſuetis, quæ verò tenellæ adhuc ſunt, etiam his qui calidiori ſunt ventriculo.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

FAbæ plurimis flatibus obnoxiæ sunt, quo fit, vt iis impensè vitandæ sint, qui à colicis infestantur doloribus. molles gignunt carnes & somnolentos faciunt: præstantiores euadunt si sine cortice assumantur, quæ cùm astringendi & obstruẽdi facultatem obtinenat, cum ipsa pulpa purgant, abstergunt, & mundant. Fabarum frequens vsus suspiriosos reddit. Fabæ recentes frigidæ sunt & humidæ, pituitam gignunt. Siccæ sine valuulo seu cortice dum dissoluantur, coquendæ sunt, multo addito pipere aut cinamomo vulgò dicto. viridis plurimum excrementitij gignit humoris. Fabis saginatæ gallinæ oua edant fragilia obstructiones gignunt, ac simile quid præstat earundem vsus in carne, quod fermentum in massa.

PHASEOLI.

Delectus. Rvbri ſint, aut rubeſcentes, non perforati, & qui citò coquantur.

Vſus. Vrinam menſeſque cient, & corpus impinguant.

Damna. Flatulenti admodum ſunt, nauſeabundi, ventriculo graues, turbulentos ſomnos inducunt, & vertiginem ac caput replent.

Correctio. Coquantur itaque cum oleo, ſale, pipere, ſinapi & aceto.

Gradus. Calidi ſunt & humidi primo gradu, ſed temperatè.

Tempus. Ætas, Temperamentũ. Qui ventriculo ſunt robuſto, tutò iis veſcuntur, & qui plurimo vtuntur exercitio. Otioſis porrò & delicatis deuitandi ſunt.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Phaseoli fabis peiores sunt, quanquam in phaseolorum genere rubri præstent cæteris, quod calidiores & minus flatulenti existant. Pectori & pulmoni conueniunt, sinapi eorum malitiam domat, vti & acetum, oleum, piper, sal & origanum. Vinum non olygophoron, sed merum phaseolis superbibendum. Fugaces sunt phaseoli, quòd rectè siccari nequeant. Virides sine cortice cum sale, oleo, cumino & pipere edendi sunt. Candidi humiditate cæteris præstant, & tardæ digestionis sunt. Tametsi vehementer phaseoli nutriant, agrestium nihilominus cibus est, non delicatorum & studiosorum.

CICERA.

Delectus. SInt magna, non negligenter asseruata, non foraminosa, neque à vermibus corrosa.

Vsus. Genituram augent, vrinam cient & menstrua, calculos conterunt, pulmonibus vtiles sunt, & coloris gratiam conciliant.

Damna. Viridia comesa inutilibus onerant humoribus ventriculum & intestina, renibus & vesicæ noxam adferunt.

Correctio. Cum semine papaueris cocta edantur, quò maiorem aperiendi facultatem acquirant, cum pulegio item & cinamono coquenda sunt.

Gradus. Temperatè calida sunt & humida primo gradu.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Omni tempori, ætati, temperamento aptè cocta & apparata conueniunt.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

EAndem facultatem obtinent in carne humana cicera, quam fermẽtum in massa, cuncta quidem calculos frangunt, præpollent tamen cæteris nigra, quæ & partum accelerant. Candida vim absterſoriam obtinent, hepar mundant & lienem, carni optimum colorem conciliant, calorem etenim augent, ſpiritus gignunt, quo fit: vt Venerem & lac augeant. Optimè nutriunt ac flatuum nonnihil producunt, vocem expediunt & thoracem ac pulmones purgant. Candida rubris humidiora ſunt, creber eorum vſus cutem & carnem venuſtiorem reddit. Pabulum præbetur è ciceribus equis admiſſariis. Veteribus hieroglyphicon rei incorruptæ hoc fuit genus leguminis, quòd à nullo vnquam animante violetur.

LENTES.

Delectus. DEligantur eæ quæ in aquam demersæ, & mox exemptæ, è vestigio humorem deponunt.

Vsus. Tollunt sanguinis feruorem, & ebullitionem & ventriculum confortant.

Damna. Humores gignunt atrabiliarios, Venerem compescunt & visum offuscant.

Correctio. Coquendæ sunt cum beta aut spinacchia.

Gradus. Frigidæ sunt & siccæ gradu secundo.

Tempus, Ætas, tēperamentum. Cholericis vitandæ, & melancholicis humidis porrò vtiles sunt: & aëris constitutioni frigidæ.

HISTORIA NATVRALIS.

Cortices lentium aluum mouent, medullam astringunt, quod si legitimè elixentur, mouent corpus, si affatim, ventrem astringunt. Cacochymæ fiunt lentes, si cum salitis carnibus coquantur. Obsunt melancholicis, turbulenta mouent insomnia. Sanguinem vsque adeò incrassant, vt venas liberè permeare nequeat, quo fit vt vrinam & menses sistant. Lentibus dulcia permiscenda non sunt, ne obstructionem augeant. Caput crassis replent vaporibus, ideoque ab iis duntaxat edendi sunt, qui humido sunt corporis temperamento.

ORYZA.

Delectus. DEligatur quæ granis constat splẽdidis & diaphanis eorum vnionum in morem, quos margaritinos nuncupant, & quæ dum elixantur, intumescant.

Vsus. Ardorem ventriculi mirificè compescit, genitale semen auget, & fluxus alui restagnat.

Damna. Colicis nocet, quòd ob lentorem diutiùs quàm par sit, intestinis adhæreat, flatuumque nonnihil gignit.

Correctio. Vaccino lacti incoquitur, aut cremori amygdalarum dulcium vnà cum saccharo, sunt & qui in amygdalarum dulcium oleo elixent.

Gradus. Calida est primo, sicca secundo gradu, at temperatè, iuxta Auicennam & Rhasim.

Tempus. Ætas, Tẽperamentum. Hyemi conuenit, iuuenibus, laboriosis, senibus porrò noxia, vti & his qui pituita multa infestantur.

HISTORIA NATVRALIS.

ORyza vdo ac paludóso agro inseritur: quòd si carnium pinguium iuri incoquatur, plus nutrit, & gustui euadit gratior. Ventrem constipat, fluxus sanat, maximè si clysteribus eorum decoctum iniiciatur. Temperatus est cibus, affatim nutrit, & corpori aruinam conciliat. Cum oleo ac butyro cocta astrictoriam vim deponit, ventris & intestinorum medetur doloribus: cum lacte cocta plus nutrit, creber tamen eius vsus obstructiones inducit. Cutem à lentiginibus abstergit lotio cum aqua oryzæ, eamque nitidiorem reddit. Primò accuratè lauanda est, inde in aquam infundenda, & prædicto coquenda modo. Far oryzæ humidius est, reliquisque frumentaceis laudabilius præbet nutrimentum. Natiuum auget calorem, & quia crassus cibus est, his solum conuenit, qui plurimos exantlant labores. Quod ex hordeo arte far conficitur, ægris admodum vtile est.

VITVLINA.

Delectus. LActentis adhuc vituli, ante paucos dies à matre in lucem editi, quæ selectissimis saginata sit pascuis, deligatur caro.

Vsus. Optimè nutrit ac laudabilem gignit sanguinem, apprimè his vtilis, qui plurimùm se exercent.

Damna. Tametsi tenella sit, crassæ tamen cùm sit substantiæ, suapte natura infirmis nocet, & ex morbo conualescentibus.

Correctio. Tenerescit, si cùm pullorum, aut caponum pinguium carnibus elixetur, ac crassam istam naturam deponit, si præsertim ei apium addatur.

Gradus. Omnibus qualitatibus temperata est.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Omnibus anni temporibus, ætatibus, & temperaturis conuenit.

HISTORIA NATVRALIS.

Eorum animantium quæ ſicciori naturâ prædita ſunt, carnes iuniores temperatæ admodum exiſtunt, ætatis namque humiditas naturalis conſtitutionis ſiccitate contemperatur. Vituli quidem ablactati caro tametſi ſanitati conducat, lactentis tamẽ tanto eſt præſtantior, quantò ortui ſuo eſt vicinior. nulla interim vitulina infirmis commodè exhibetur, quòd à languenti ſtomacho, ob lentorem quo prædita eſt, confici nequeat. At ſanis ad ſanitatem tuendam eſt vtiliſſima. & quò eſt iunior, eò præſtantior, modò exerceatur. Bouillo generi quatuor ætates adſcribũtur. Prima eſt vitulorum, ſecunda iuuencorum, tertia boum nouitiorum, quarta prouectiorum. Vaccæ duûm annorum tauris rectè ſubmittuntur, vt pariant tertio. Aeſtate boues bis potandi ſunt, hyeme ſemel. Noſtrates vitellam vitulum nuncupant, quaſi vitam illis dans, quòd ſana corpora optimè nutriat.

VACCINA SEV BVBVLA.

Delectus. SIt quoad eius fieri poteſt maximè iuuenis, pinguis, aratro aut ſimili valido labore exercitata.

Vſus. Vehementer eos nutrit qui plurimo exercitio vtuntur, plurimúmque gignit ſanguinis, ad hæc fluxum cholericum ſiſtit.

Damna. Praui eſt alimenti, craſſum gignit ſanguinem, tardè conficitur, varices generat, & morbos melancholicos.

Correctio. Delicatis & otioſis hæc interdicitur, qui verò exercitiis vtuntur, ſale plurimo macerent per 24. horarum ſpacium, ac exquiſitè coquant.

Gradus. Frigida eſt gradu primo, ſicca ſecundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Frigido cœlo conuenit, quæ eſt tenerrima, iuuenibus, & his qui plurimùm ſe exercent.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

VAccinæ nomine omnis bubula caro intelligenda venit, ætas duntaxat illas diſcernit, non ſexus: iuniorum etenim animantium carnes, vetulis præferendæ ſunt. Bos natura eſt melancholicus, at iuuenis plus humidi obtinet. Qui ſi præterea plurimo ſubigatur exercitio, carnes longè teneriores & guſtui gratiores nanciſcitur: bouilla quantò eſt ſenectæ vicinior, tantò eſt nocentior, plurimaſque infirmitates inuehit, vtputa febrem quartanam, morbos ſpleneticos & id genus non paucos affectus melancholicos. Vtilis tamen eſt his qui multo vtuntur exercitio. Cùm ſtrigoſæ & macræ vaccæ faciliùs impleantur, relinquendæ ſunt, antequam tauro ſubmittantur, per diem vnum ſine cibo: at tauro è diuerſo plurimum pabuli exhibendum eſt. Homini in ruſticis operis ſocius bos eſt, & famulus Cereris. Promethea ferunt primum mactaſſe bouem. Effœtam vaccam Tauram Latini, fœcundam Hordam nuncupant.

VERVEX.

Delectus. NEcdum anniculus deligatur, qui ex agno, non hirco veruex factus ſit.

Uſus. Plurimum & id quidem laudabile gignit nutrimentum, temperate enim humida & calida eſt veruecina, ac ic-circo infirmis idonea.

Damna. Inutilis eſt vetus veruecina, ætate enim corrumpitur, & exſiccatur, quod potiſſimùm ob præſecta genitalia contingit.

Correctio. Annoſa igitur veruecina poſthabita, iuuenum caro elixa cum herbis aperitiuis & cordialibus edatur.

Gradus. Temperatè calida eſt & humida.

Tempus, Ætas, Têperamentum. Conuenit quouis anni tempore, omni ætati, temperamento, cuiuis regioni.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

VEruecum anniculorum carnes optimæ sunt, & sanis æquè ac infirmis conueniunt, omnium medicorum testimonio: laudabilem enim sanguinem gignunt, & nullo negotio conficiuntur: senum autem tam ætatis, quàm exsectionis ratione iusto sicciores sunt. Iuniorum itaque carnes cuiuis complexioni, ætati ac regioni conueniunt, præ cæteris enim adæquatam quandam crasin humoribus conciliant. Deligendi item sunt ex agnis, non capris, castrati. Veruecem Latini sectarium nuncupant, quòd dux cæteris præat agnis. Variè hæ carnes pro sanis in vsum apparantur. Posteriora præcipuè cum rosmarino & allio tosta gratissima palato euadunt. si antequam torreantur, optimè fuste macerentur.

CAPRILLA.

Delectus. RVbri & nigri capri præstant candidis, dummodo semestres nondum sint, sed nuper editi, & necdum ablactati.

Vsus. Facilè & citò digeritur, optimumque alimentum suppeditat, infirmis & ex morbo conualescentibus, apprimè vtilis.

Damna. Senibus & decrepitis noxia est, vti & his qui frigido & humido sunt ventriculo, & qui plurimùm se exercent.

Correctio. Tosta igitur vtilior est quàm elixa, & postremæ partes anterioribus præferendæ sunt quòd minùs humido excrementitio cæteris abundent.

Gradus. Calida est & humida temperatè gradu primo.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Iuuenibus conuenit, & calido ventriculo præditis, senibus verò nocet & phlegmaticis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

IVniorum caprarum carnes, optimi alimenti causâ deliguntur, vtriusque autem sexus vetulæ carnes, quòd magno negotio conficiantur ac praui sint succi, inhibentur. hyeme improbatur eorum vsus, æstate laudatur: cæteris temporibus medio modo se habent. Nostrates per semestre spacium Capretto nominant, quæ appellatio postea immutatur. Dum lactatur, temperatæ eius carnes sunt, ideoque his, qui multo labori dediti sunt, minimè conueniunt, temperatum enim gignunt sanguinem, & prauam temperiem ad crasin perducunt. Capra à carpendo nomen obtinuit, quod virgulta dum pascitur decerpit. Arboribus cumprimis eius morsus noxius est. præsertim oleæ, cui sterilitatem inducit. Ocymi visu vertuntur in rabiem capræ. Per aures autem, non per nares respirant.



AGNVS.

Delectus. ANniculus maſculus in vſum veniat, idoneus admiſſuræ: hoc enim pacto ſuperfluum humidum abſumitur, hyeme ne edatur.

Vſus. Optimi ac copioſi nutrimenti eſt, humori melancholico reſiſtit, calidæ temperiei apprimè vtilis eſt.

Damna. Pituitoſis noxia eſt agnina lactens, viſcoſos enim gignit in ventriculo humores, quòd multa humiditate prædita ſit.

Correctio. Annicula igitur in alimentum toſta, cum roſmarino, allio, ſaluia, & yophyllis, & id genus calidis, quæ humiditatem abſumant, veniat.

Gradus. Calida eſt primo, humida ſecundo gradu: at lactens humida eſt tertio ordine.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Calidæ aëris conſtitutioni, iuuenibus & cholericis conuenit. Frigido autem cœlo, ætati & temperiei frigidæ neutiquam.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Ovilla omnis fœminina prauum succum gignit, at maris anniculi laudatur: nam ante istud tempus iusto humidior est, quo fit vt noxia tum sit, quòd plurimos tenaces ac lentos humores gignat: at anno exacto superfluo humore exuta, idoneam temperiem adsciscit, quocirca tum rectè in vsum ouilla admittitur, calidis competit anni partibus, regionibus, item simili temperamento præditis, iisque qui bilioso & adusto scatent humore: frigido cœlo neutiquam edenda est. Austro flante fœtu fœmineo oues impragnantur, Aquilone masculo. Vt primum in lucem prodiere agni, matrem agnoscunt, qua cum quamprimùm lasciuiunt.

PORCVS.

Delectu. VEtus ne ſit neque exilis nimiùm porcina, ſed iuuencula, maſcula, & in pratis paſta.

Vſus. Plurimi & laudabilis nutrimenti eſt, iis præſertim, qui laboribus deditì ſunt. lubricam ſeruat aluum & vrinam ciet.

Damna. Delicatis & otioſis noxia eſt, podagram & iſchiada accelerat.

Correctio. Hanc noxam exuit, ſi, qua dictum eſt ætate, modicè & cœlo frigido macra porcina è pingui animante, toſta cum aromatibus, & id genus calidis exdatur.

Gradus. Calida eſt primo, humida in fine ſecundi gradus.

Tempus, Ætas, Tẽperamẽtũ. Optima frigida aëris conſtitutione, iuuenibus, & qui calido ſunt ventriculo, & multis deditì laboribus. ſenibus porrò nocet.

HISTO-

HISTOR. NATVRAL.

VEteres id vno omnes ore attestantur, porcinam iusto humidiorem esse, iuniorum præsertim & lactentium. iure meritò igitur nefrendes, qui tanto in pretio sunt, ac tam auidè à lurconibus abliguriuntur, fugiendi sunt, quòd haud parum damni adferant: non malè autē iis vescimur porcis, qui ad ἀκμὴν ac statum peruenêre, quòd optimum alimentum suppeditent, tale videlicet, quo nullæ sapore aut odore ad humanam naturam propius accedunt, si præsertim sale nonnihil conditæ prius fuerint. Veteres animam sui loco salis datam iccirco dixêre, quòd nullis aliis vsibus, quàm victui humano idoneum hoc animal esse cernerent. Cereri dicabant suem, eamque pacis aut induciarum ergo immolabant. Quæ è suillis carnibus in regionibus frigidis ac Boreæ expositis variè conficiuntur pernæ ac salsamenta, commodè cum aliis coquuntur carnibus, atque orexin excitant, quia pituitam incidunt, & potum palato commendant, dummodò exigua quantitate edantur.

APER.

Delectus. ESto iuuenis, pinguis, venatione partus, in qua plurimùm agitatus sit hyeme, & sit tenera carne.

Vsus. Plurimi aprugna nutrimenti est, cibusque hisce vtilis, qui plurimùm se exercent, facileque conficitur.

Damna. Otiosis noxia est, ob extrementorum nimium in ea prouentum, & superfluos quos gignit humores.

Correctio. Vesci autem ea licebit absque detrimento, scilicet in tessellas concisa cum aromatibus, aut qua arte solent Itali, quod à Brolardieri nuncupant, coquatur, ita siquidem flatulentam vim omnem deponit, vel si ex ea artocrea conficiatur, aromatibus bene condita.

Gradus. Calida est & humida primo gradu temperatè.

Tempus, Ætas, temperamentum. Frigidæ aëris constitutioni competit, corporibus calidis, multo labori deditis: otiosis porrò nocet.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Aprugna neutiquam tantum humiditatis obtinet, quantum ſuilla caro domeſtica: id quod continuo vſu aëris, paſcuorum atque exercitiorum euenit, quo ſit vt domeſtica anteferatur. optimi nutrimenti hybernis præſertim menſibus (cûm ventriculi calor intenditur) iis qui ventriculo robuſtiori ſunt, eſſe cenſetur. Hyemis principio apri ad coitum ſtimulantur, ineunte vere fœtus edunt locis deſertis, anguſtis, præcipitibus & opacis, temporeque partus ac fœtuum numero cum domeſticis conueniunt. Pruritum teſtium prima ætate perpetiuntur, quem affrictu eorundem ad arborum truncos, quo materia exſiccetur, curant. hedera ſibi aper medetur. Vrinæ pondere vſque adeò premitur, vt hac etiam ſola vrgente, dum euacuandæ eius ſpacium non datur, futura ſibi conſulere nequeat, atque ita à venatoribus capiatur. P. Seruilius Rullus primus apud Romanos coctam aprugnam menſæ conuiuis intulit.

CERVVS.

Delectus. IVuenis admodum, & si fieri possit, lactens adhuc deligatur, vel cui, vt primum in lucem prodierit, genitalia exsecta sint.

Vsus. Istiusmodi caro optimi est nutrimenti.

Damna. Prauos gignit humores, præsertim si grandiorem ætatem attigerit, difficulter digeritur, & febrem quartanam accelerat.

Correctio. Melior euadit & apta vsibus ceruina, si cum pinguibus aliorum animantium carnibus coquatur, aut artocreis larido accuratè infartis.

Gradus. Calida est primo ordine remisso, sicca secundo.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Calidæ aëris temperiei minimè conuenit, neque senibus vtilis, cumprimis noxia melancholicis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

MAlè audit ceruina apud veteres, quòd craßißimum & atrabiliarium ſuppeditet nutrimentum, annoſi potißimùm cerui: minùs tamen noxæ lactentis adhuc aut incrementum ſumentis cerui caro obtinet: quòd ſi ea ætate ſit, qua caſtrari poßit, omnem aiũt carnes eius malitiam deponere, & vſibus euadere idoneam. Ceruam octenis aluo menſibus geſtare aiunt, dein in compitis fœtum (qui enixus, quamprimùm incedit) præ ferarum metu edere. Mares quotannis cornua abiiciunt nouaque promittunt, fœmellæ nũquam. Quòd ſi antequam cornua deponant caſtrentur, impoſterum iis noua non enaſcuntur. Cornu cerui crematum omnia animantia fugat. Ceruina matutino tempore comeſa vitam hominis producit, ſub noctem verò eandem abbreuiat. Fœmellæ vicinæ partui ſeſeli copiosè veſcuntur, quòd partum iis acceleret, eaſque purget.

DAMA.

Delectus. IVuencula ſit, obeſa, optimè agitata, aëri aliquandiu expoſita, donec tenereſcat.

Vſus. Melioris cęteris ferinis carnibus nutrimenti eſt damarum, maximè autem reſiſtit doloribus colicis & paralyſi, iiſque vtilis qui multo humorum ſcatent prouentu.

Damna. Macilentis porrò nocet & extenuatis, nam cùm aridum gignat ſanguinem, neruos lædit, ſi præſertim annoſi ſit animalis caro.

Correctio. Dum coquitur oleo, plurimum irriganda eſt, aut multa imbuenda pinguedine, quò humidior euadat.

Gradus. Calida eſt & ſicca ſecundo gradu.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Calido aëre, noxius eſt eius vſus iuuenibus, item cholericis, pituitoſis autem & paralyticis conuenit.

HISTO-

HISTOR. NATVRALIS.

Ferinam omnes iccircò suggillant, quòd crassum sanguinem gignat: at damarum carnes, quæ primas venaticarum facilè obtinent, præterquam quòd palato arrideant, valetudini minimè obsunt: frequenti etenim & continuo motu, tenuior & subtilior earum sanguis redditur, rarescit corpus, pori aperiuntur, ac praui humores dißipantur, quo fit, vt neque more aliarum ferinum spirent odorem. hinc faciliùs digeruntur, & quem gignunt sanguinem minimè superfluo & excrementitio humore abundat, plurimisque malis medetur. Damarum hæc extat apud Martialem querela:

Dente timetur aper, defendunt cornua ceruum:
Imbelles damæ quid nisi præda sumus?

LEPVS.

Delectus. SIt iuuenis, à canibus inter venandũ plurimùm agitatus, vſus eius tutior eſt hyeme quàm aliàs, ac maceratus nocturno frigore.

Vſus. Obeſis conuenit, qui extenuationi ſtudent, faciei gratum colore conciliat, vnde iſtiuſmodi in vulgus prouerbium promanauit: Leporem comedit.

Damna. Tardè digeritur, melancholicum gignit ſanguinem, adhæc ſomniculoſos reddit eius frequens vſus.

Correctio. Si pingui aruina, aut laridi ſegmentis perforata, aut pingui aliquo liquamine ac aromatibus quæ craſſitiem innatam edoment, præparetur, laudabilis euadit.

Gradus. Calida & ſicca eſt ſecundo ordine.

Tempus, Ætas, Tẽperamẽtũ. Hyeme duntaxat iuuenibus & ſanguineis conuenit. Nocet melancholicis & ſtudiis literarum deditis.

HISTO-

HIST. NATVRALIS.

Leporinæ carnes inter praui nutrimenti cibos à veteribus recensentur, sunt namque & ferino odore, & crassum gignunt sanguinem, quamobrē his duntaxat qui maciei conciliandæ student, conueniunt. Ideoque venatorum hic venit reprehendendus error, qui cùm plurimùm in leporum venatu incaluere, mox leporinis, quæ calidissimæ sunt, vescuntur carnibus, cùm refrigerantibus potius vti conueniret, ad superfluum æstum mitigandum, quem venatione (quod genus exercitij violentissimum est) sibi conciliauere. Velocissimi ac pernicissimi cursus est lepus, quod anteriores pedes posterioribus breuiores habeat. Vulpes leporem astu circumuētum capiunt. Carnium leporinarum vsus faciei & coloris venustatem & lætitiam per septem dies conciliat. Græci λαγὸν ob insignem aurium magnitudinem nuncupant leporem.

CVNICVLVS.

Delectus. ESto iuuenis, pinguis, hybernus eius vſus, caro noctu aëri expoſita, macerata & tenerior reddita.

Vſus. Optimum alimentum & copioſum ſuppeditat, humores ſuperfluos ac pituitam in ventriculo coaceruatam abſumit.

Damna. Melancholicis nocet, & ſenibus.

Correctio. Elixanda eius caro eſt aliquantulum, dein cum herbis odoriferis, caryophyllis aliiſque aromatibus torrenda.

Gradus. Frigida eſt principio primi gradus, & ſicca gradu ſecundo.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Calida aëris conſtitutione, decrepitis & melancholicis admodum noxia eſt.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

OB eam, quam cum lepore habet forma cognationem cuniculus, paruus lepus nuncupatus est: cuniculorum autem sub terra effodiendorum ratio, à continuis huiusce animalis subterraneis erroribus ad homines dimanauit. hinc Martialis:

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris,

Demonstrat tacitas hostibus ille vias. *Quanquam eius caro melancholicum humorem progignere dicatur, prauique esse vulgò alimenti credatur, obesi nihilominus, iuuenes & bene nutriti minus noxæ obtinent, id quod isti ætati potissimum quæ præstantiores reliquis carnes producit, acceptum referendum est. Tantus eorum est in Balearibus insulis Maiorica & Minorica prouentus, vt nonnunquam frumenta in agris vastarint, summamque annonæ caritatem induxerint.*

HISTRIX.

Delectus. IVuenis deligatur, pinguis, frigido cœlo, venatione agitatus, & qui aëri aliquandiu expositus ac maceratus, tenerior euaserit.

Vsus. Plurimum nutrit, orexin excitat, somnum conciliat, robur plurimum laborantibus auget, & carnium esus ab abortu grauidas tutatur.

Damna. Difficulter digeritur, multam pituitam & lentos humores gignit, auget & succum melancholicum, iisque nocet qui à mariscis infestantur.

Correctio. Cùm aeri aliquandiu exposita, macerata fuerit, coquenda est, & artocreæ vnà cum multis aromatibus condenda, aut tosta cum herbis odoriferis, cinamono vulgo dicto, & allio, edenda.

Gradus. Frigida est primo gradu, humida secundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Prauus histricis vsus est, quocunque & anni tempore, & ætate, & temperamento.

HISTORIA NATVRALIS.

Histrix plurimis, longis & acutis aculeis horret. Degit in cuniculis subterraneis, noctu crebriùs, quàm interdiu ad pastum egreditur, tota hybernis mensibus se in morem Vrsi recondit ac delitescit, fœtumque totidem quot Vrsus mensibus gestat aluo. Irata histrix sese corrugat & cute ad instar Vtris extensa, spinas eminus eiaculatur, Vt non canes modò, Verumetiam non rarò Venatores sauciet. Spinis ad discriminandũ capillitium Vtuntur mulieres. Prauum carnes succum gignunt. Spinosior histrice prouerbio in eos luditur, qui agresti, duro & inculto sunt ingenio & moribus. Calphurnij tale extat carmen:

Venit & hirsuta spinosior histrice barba.

Histricis caro cocta, & siccata, & in puluerem redacta, si grauidis exhibeatur, aborsum prohibet.

CAPO.

Delectus. Iuuenis ſit, obeſus, optimè ſaginatus, atque in patenti & libera area educatus.

Vſus. Cæteris omnibus cibis multo præſtantius humano corpori alimentum ſuppeditat, ac cerebro apprimè vtile, æqualem temperiem omnibus humoribus concilians.

Damna. Otioſis ob nimiam alimenti & ſanguinis quam gignit copiam, eius vſus noxius eſt.

Correctio. Moderatus itaque eius vſus eſto, aut corpus laboribus & exercitiis plus ſolito aſſueſcat.

Gradus. Adęquatam qualitatum temperiem obtinet.

Tempus. Ætas, Tēperamentum. Omni tempori, ætati & craſi conuenit.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

ID nominis capo demeruisse ob excellentiam videtur, quòd inter sui generis atque adeò cohortales aues, primas teneat. Plurimum nutrit, Venerem auget, omnium carnium præstantißima. Perfectum enim sanguinem gignit: quod encomium non minùs gallina atque pulli, quàm gallus merentur, atque si quidem rectè antequam canere incipiant, mensæ adhibentur. gallina verò antequam oua pariat. Auget cerebrum humanum vsus cerebri caponis, facilè eius caro conficitur, orexin excitat, omnibusq. naturis cõuenit, modo mediocriter obesus sit: iusculũ, in quo carnes elixæ fuerint, craseos intẽperiẽ ad æquale tẽperamentũ perducit, humoresque adæquat. Visui vtilis est, naturalẽ colorẽ auget, ni vetustate nimia viluerit. Vndecimo ante tertiũ Punicũ bellũ anno, lege à Caio Fãnio Consule sancitũ est, ne mẽsis alia auis præterquã gallina in cãpis nutrita inferretur. Nostrates caponis etymõ. lingua Hetrusca, è dictionib., quà one, deductũ fingũt, quasi dicas, huc ap one.

GALLVS INDICVS.

Delectus. IVuenis ſit & in campis ſaginatus, præſtat cæteris hyeme mactatus, ac cuius noctu aeri expoſitæ teneriores carnes euaſerint.

Vberrimi & maximè laudabilis nutrimenti eſt, vires collapſas reficit: conualeſcentibus itaque ex morbo vtilis, genituram auget, & Venerem accendit eius vſus.

Damna. Otioſis nocet, podagram accelerat, aliiſque id genus defluxionibus reddit obnoxium.

Correctio. Exigua itaque eſtur quantitate, ac rarius quidem, aromatibus inter torrendum optimè imbutus.

Gradus. Calida eſt & humida gradu ſecundo gallopani caro.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Quouis anni tempore, omni ætati, temperamento, præterquam decrepitis conuenit.

HISTORIA NATVRALIS.

GAllopanus cum gallina & pullis vnam eandemque ſpecie naturam obtinent, inter quas præcipuam laudem pulli ob tenellas carnes merentur. Ex Numidia primum ad nos illati ſunt, non India, poſtremique omnium ab helluonibus & gulæ deditis, exquiſiti cibi loco, menſæ conſecrati, nouiſsimi quoque fuêre, qui in tertiam gallinarum ſpeciem relati ſunt. Has aues Græci Meleagrides nuncupant, poëtarum adducti figmento, qui Meleagri ſorores in eiuſmodi aues conuerſas prodiderunt.

PAVO.

Delectus. QVi admodum iuuenis, in loco limpidissimo aëri exposito educatus, carne tenera, deligendus est.

Vsus. Vehementer nutrit, calido ventriculo præditis cibus idoneus.

Damna. Difficilè conficitur, sanguinem gignit melancholicum, otiosis impensè noxius.

Correctio. Iugulatus quindecim dierum spatio, graui pondere pedibus appenso, frigidissimo aëri exponendus est.

Gradus. Calida eius est caro secundo gradu, sicca primo.

Tempus, Ætas, tēperamentum. Frigido cœlo conuenit, calido ventriculo præditis, & his qui plurimo vtuntur exercitio.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Difficulter pauo conficitur, quo fit, vt diu eius caro asseruari queat. B. refert Augustinus, se pauonis occisi annuas edisse carnes: vincit cæterarum auium carnes duritie pauo, ideoque iuniorum & tenerorum edendæ sunt, idque hyeme, quæque diu antequam edantur, iugulatæ & aeri expositæ sint. Praui est pauo temperamenti & nutrimenti, atram bilem mirè auget, animoque nebulas obducit. Generosum vinum superbibendum est. Anno tertio imprægnatur viuitque annis 25. tantoque laborat liuore, vt propriis vescatur excrementis, quò mortalibus eorundem vsum præripiat. Grauem indixit Magnus Alexander iis mulctam, qui pauonem enecassent. Primus hunc mensis intulit Q. Hortensius Orator Romanus, gulæ cumprimis deditus & palati mancipium.

PIPIO.

Delectus. HI deligantur qui primùm incedere, suoque Marte pastum quærere tentant, & qui sunt obesuli.

Vsus. Paralysin eam curant, quæ à frigida causa prouenit, coitum stimulant, infirmis calorem augent, renes purgant, facileque digeruntur.

Damna. Calidæ constitutioni officiunt, caput tentant eorum, qui capitum pipionum esu delectantur, sanguinemque inflammant.

Correctio. Pingui itaque iure elixandi sunt, cum omphacio, prunis, cerasis acidis, vel cum aceto & coriandro.

Gradus. Calidi sunt & humidi gradu secundo.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Tempori frigido conueniunt, senibus, pituitosis: vehementer enim calefaciunt.

HI-

HISTORIA NATVRALIS.

SYluestres columbæ duras carnes obtinent, ac praui sunt nutrimenti. Triginta viuunt annis, obmutescunt per hyemē, vere ineūte vocales sunt. Duûm sunt generū: Vinarias vocât alias, quòd labruscis vtplurimū victitent: Torquatæ dicuntur aliæ, quod torquis instar collo insigne gerant. Vnde Martialis:

Inguina torquati tardant hebetant-
que columbi,

Non edat hanc auem, qui cupit esse (salax.

Et domesticæ syluestribus paulo sunt difficilioris cōcoctionis, gignūt cynāchen febrēque accersunt, ob caloris excessū: senibus verò & pituitosis vtiles sūt. Quæ in colūbariis asseruātur, & in turribus degūt, cæteras præstātia vincūt, faciliùs enim cōficiūtur, & laudabilē gignūt sanguinē, ac mirificè vires restaurāt. Capita interim omnib. adimēda sūt, quòd capiti dolorē cōcilient. Quæ in domibus degūt, humidi plus æquo obtinēt. Si quis colūborū ac pipionū carnibus tēpore pestis per cōtagionē ortæ, vtatur, is se securū à cōtagione præstat. Syluestres seipsas lauro purgant, atque in senecta vnguibus destituuntur, mutuis se osculis domesticæ ad coitum inuitant.

PVLLVS ANSERINVS.

Delectus. IVuenis esto, obesus, campestri & libero cœlo educatus.

Usus. Optimum suppeditat alimentum, macrosque & macilentos saginat.

Damna. Corpus superfluo humore replet, tardeque conficitur, ætate prouectiorum carnes febrem accersunt.

Correctio. Corrigitur hæc noxa, si antequam iuguletur, boracis fumo gulæ immisso suffiatur: indeque odoratis herbis & aromatibus farctus torreatur.

Gradus. Calidus est primo gradu, humidus secundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Frigido cœlo conuenit, iis præsertim qui calido sunt ventriculo, & qui plurimum sese exercent.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

ANserinus pullus, dum coquitur, plurimis indiget aromatibus rebusque fragrantibus, quò cõnatum carni ingratum deponat odorem. Aegrè conficitur, calidus est & humidus, quo fit, vt febrem facilè accersat. iuuenis porro & præstantior est & minus noxæ obtinet. Præstant partibus cæteris hepar, alæ, obesorum maximè. laboribus deditis anserina caro conuenit, non otiosis. Iudæi, quòd anserina carne vt plurimùm vescantur, temperamento atrabiliario sunt, colore prauo, & tetricis moribus. Anser herbis & locis gaudet frigidis. Primus omnium Seßius, anserini hepatis præstantiam & gratum saporem commendauit. id alii Metello, Scipioni etiam plerique attribuunt.

ANAS.

Delectus. IVuencula ſit, obeſa & carne tenella.

Vſus. Plurimi eſt nutrimenti, impinguat, colorem optimum conciliat, vocemque canoram, genituram auget, flatuſque digerit.

Damna. Frigidis calorem conciliat, calidis febrem accerſit, difficulter digeritur, craſſique eſt nutrimenti.

Correctio. Si eadem ratione, vti de pullo anſerino ſuprà dictum eſt, collo adaperto antequam mactetur borace ſuffiatur, herbiſque odoris & aromatibus infarcta torreatur, malitiam omnem deponit.

Gradus. Calida eſt & humida gradu ſecundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Frigido cœlo duntaxat competit, ventriculo calido præditis, iiſque qui plurimo exercitio vtuntur,

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

ANas auium cohortalium omnium est calidiſsima, maximeque humida, tardè digeritur: alæ ac hepar à præſtantia plurimùm commendantur, citò enim in alimentum faceſſunt. Obeſa anas corpori robur conciliat. Pectus & ceruicem his verbis Martialis commendat:

Tota mihi ponatur anas, ſed pectore tantùm
Et ceruice ſapit, cætera redde coquo.

Carnes auget, ſaginat euidenter ſi benè digeratur. Hepar anatis præterquam quòd palato arrideat, ſanitati imprimis confert, fluxus hepaticos mirè ſiſtit. Propter paludes fœtus excludunt anates, ac quamprimùm enatæ aquam ingrediuntur, ſublimia aeris loca volatu petunt. Sideritide, dum morbis infeſtantur, ſe purgant.

PHASIANVS.

Delectus. PInguis ſit, & venatione hybernis menſibus acquiſitus.

Vſus. Hecticis vtilis eſt, vires è morbo cõualeſcentibus reſtaurat, optimi eſt nutrimenti, ventriculumque debilem reficit.

Damna. Nullâ aliâ noxâ infamis eſt phaſianus, quàm quòd ruſticis aſthmagene-ret.

Correctio. Hi itaque eorum vſu abſtinento, nobilioribuſque & delicatis iis veſci permittant.

Gradus. Temperatus eſt omnibus qualitatibus phaſianus.

Tempus, Ætas, Tẽperamẽtũ. Autumno eius vſus conuenit, & hyemi, omni ætati & temperiei.

HISTO-

HISTOR. NATVRAL.

PHasianorum caro quod ad nutritionem ac digestionem attinet, similis est gallinarum carnibus, quanquam palato sit gratior, mediam quandam inter capum & perdicem naturam obtinens. Extenuatos ac macilentos breui temporis spatio phasianorum caro restaurat, sanitatis etenim commendatione, & virium quas corpori sufficit, cæteris altilium carnibus longè antefertur. Gallinarum item carnibus ob siccius temperamentum, quod & pastus & aeris liberiore vsu, & exercitiis acquisiuit, præstat. Concoctricem facultatem adiuuat, fractorum & debilitatorum vires reficit. A Phase Colchidis flumine denominationem sortitus est phasianus. Vulgus nostratium fasanum, quasi faciens sanum nominat. Infestatur plurimùm à pediculis, quos corporis in puluere volutatu à se arcet.

PERDIX.

Delectus. IVuencula ſit, maſcula, quales ſunt pulli, domi, quoad eius fieri poteſt, ſaginata.

Vſus. Subtile gignit nutrimentum, citò conficitur, ſaginat, humores ventriculi ſuperfluos exſiccat, è morbo conualeſcentibus eſt vtilis.

Damna. Iuuenculæ perdices ſolis nocent ruſticis, vetulæ carnes duriores obtinent & praui ſunt ſaporis.

Correctio. Iuuenculæ duntaxat in vſum veniunt, ſenes noctu aëri expoſitæ, macerantur quò teneriores euadant.

Gradus. Calida eſt primo gradu, ſicca ſecundo.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Omni ætati conueniunt, omnibus, cœlo præſertim frigido, modò iuuenes ſint.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

PErdicis ætas, annorum ſedecim ſpatio circumſcribitur, exiguam eius caro, niſi iuuencula ſit, laudem meretur. Prouectiorum enim dura eſt, ac palato ingrata, at gallinæ caro præſtat maſculæ, ventriculo idonea, è morbo conualeſcentibus, & his qui ſibi aruinam comparare ſtudent, apprimè vtilis: Venerem accendit, ſiccitatis nomine melancholicis nocet & aluum aſtringit, toſta & elixa vtiliter editur, neque enim putreſcit in ventriculo. Fluxus quoſuis ſanat, cum aceto comeſa. Eiuſdem cum perdice naturæ ſturnus eſt, plurimum ac laudabilem ſanguinem eumque fluxilem gignit. Ioui ſacrata eſt perdix & Latonæ: Gemino ſunt apud Paphlagones corde, vſque adeò laſciuiunt, vt maribus oppoſitæ, à ſolo etiam vento iſthinc ſpirante afflatæ, concipiant. Lauro ventrem purgant.

COTVRNIX.

Delectus. ELigatur quæ helleboro pasta non sit, ab aue prædatore capta, obesa, & tenera.

Vsus. Melancholicis duntaxat vtilis est, quòd insigni sua humiditate ipsorum siccæ temperiei subueniat.

Damna. Putrescit facilè in ventriculo, febrem gignit, tremorem & spasmum.

Correctio. Sunt qui cum aceto & coriandro coctam, eam deponere malignitatem asserant, negantibus contrà aliis eam hac ratione apparatam meliorem euadere.

Gradus. Calida est in fine primi gradus, humida in fine secundi.

Tempus. Ætas, Tẽperamentum. Frigidæ aëris constitutioni conuenit, senibus nocet, paralyticis & phlegmaticis.

HISTORIA NATVRALIS.

Coturnices pessimè apud omnes scriptores spasmi nomine, quem gignere perhibentur, audiunt, vti & tremorem & morbum Herculeum: quo fit, vt tam his qui bona, quàm qui praua sunt temperie præditi, eius vsu interdicatur, adde quòd difficulter conficiantur, febrem accersant, &, vt vno verbo dicam, quòd omnium auium carnes malitia vincant: aiunt autem ob hellebori pastum, quo mirum in modum delectātur, aliorumque quorundam venenatorum seminum vsum, hanc coturnicibus malitiam inesse. Ad quam præcauendam nō foret inutile, domi bonis & salubribus eas seminibus enutrire. Quæ Latinis coturnix, ea Græcis ortyx dicitur, hinc Ortygiam Aegæi maris insulam denominatam asserunt, quòd primos in ea coturnices inuentos esse persuasum sit. Ducem cohortis coturnicum ortygometram nuncupant.

TVRTVR.

Delectus. ESto iuuenis, domi aliquandiu antequam edatur ſaginatus, quò innatam ſiccitatem nonnihil deponat.

Vſus. Optimi eſt nutrimenti, facilè conficitur, ventriculum confortat, acuit ingenium, Venerem ſtimulat, ac palato gratus eſt.

Damna. Cholericis & melancholicis nimiæ ſiccitatis nomine inimicus eius vſus eſt.

Correctio. Quocirca antequam in vſum veniat, humidis ſaginandus domi cibis eſt, quò craſin ſiccam in humidiorem commutet.

Gradus. Calidus eſt & ſiccus ſecundo gradu.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Frigido cœlo conuenit, ſenibus & phlegmaticis: cholericis porrò nocet & melancholicis.

HISTO-

HISTOR. NATVRALIS.

TVrtures iuuenculas & obesos optimum suppeditare nutrimentum Galenus asserit, contra prouectiores ægrè confici, sanguinem melancholicum gignere, quare annuis maiores edendi nō sunt, ac iuuenes quidem, vt esui magis idonei sint, aeri per duas noctes exponendi sunt, vt tenerior ipsorum caro euadat. Nam cùm præ reliquis auium carnibus existant maximè sicci, ita apparati optimum gignunt sanguinem, haud difficulter conficiuntur, ac sanguinem quibus opus est, augent, ingenium acuunt ex sententia Auerrois secundo Collig. Ineunte Vere, quia plumis denudatur, sese abdit: Dum bibit, caput non attollit aliarum auium more Viuit annis octo: parietaria se herba purgat.

TVRDVS.

Delectus. PRæstant reliquis cœlo frigido capti, obesi, baccis iuniperi & myrto pasti.

Vsus. Optimi sunt nutrimenti, facilè digeruntur, laudabilem gignunt sanguinem, conualescentibus è morbo plurimum conferunt.

Damna. Nocent hemicranicis & phreneticis.

Correctio. Optimę carnis iusculo si incoquantur vnà cum apio atque id genus herbis aperiendi vim habentibus, eam malitiam deponunt.

Gradus. Calidi sunt & sicci in fine primi gradus, ad principium vsque secundi.

Tempus, Ætas, Tẽperamẽtũ. Frigido cœlo conueniunt, omni ætati, ac temperamento, præterquam senibus.

HISTO

HISTORIA NATVRALIS.

TVrdi pingues deligendi sunt, rete aut nebula capti. Merulæ, quibus idem ingenium, natura eadem, eodem capiuntur modo, cumque carnes natura sicciores more cæterorum altilium habeant, aruina pingui coquendi sunt, tum vt siccitas illa ad temperamentum reducatur, tum etiam vt faciliùs conficiantur. Macilentis & exanguibus vtilissimus est turdorum vsus, iisque quibus analeptice opus est. Ex luto & arborum ramis nidum sibi ædificat turdus, surda quidem auis, sed quæ surditatem garrulitate compensat. Surditas eius ita in prouerbium abiit, vt si quem eius vitij notare velimus, Turdo surdiorem appellemus. Plinius auctor est, Claudij Cæsaris coniugem Agrippinam turdum habuisse, qui humanam vocem æmulatus fuerit. Versibus à Martiale & Horatio cerebrati sunt turdi.

FICEDVLÆ.

Delectus. OBesæ deligantur, eo maximè tempore quo ficus & vuæ maturuerint, & copiosus eorum sit prouentus.

Usus. Laudabile alimentum suppeditāt, orexin excitant, conualescentibus præsertim è morbo, cordi apprimè vtiles sunt.

Damna. Infirmis nocent, cumprimis febricitantibus, phthisin rusticis accersunt.

Correctio. Neque igitur infirmis, nec agresti hominum generi, & duriori victus rationi assuetis exhibeantur, sed popinonum & Phæacum mensis, & affatim quidem inferantur.

Gradus. Calidæ sunt & humidæ gradu primo.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Autumno quo vuæ maturuerint, conueniunt, omni ætati, & temperamento, at infirmis nocent.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

IVre maximam ficedulæ in magnatum mensis merentur laudem, tum quòd exquisiti sint gustus, tum quòd simul citò & optimè nutriant. Ventriculum non grauant, etiamsi centum numero edantur, at potius corroborant. Experientia constat, totum diem hilariter eum transigere, qui magno numero ficedulas esitarit, ex quo conficitur, vitales eos gignere spiritus, & sanguinem cordi purum ac sincerum sufficere. Per autumnum ficedulas hoc nomine dignantur, quòd ficubus vescantur: reliquo anni tempore melancoryphos vocant, quòd apicem capitis nigrum habeant.

Sumque melancoryphus quòd mihi fuscus apex.

CAPVS.

Delectus. TEmperamenti ſit adæquati, ætatis mediæ. humidior namque iuſto eſt, dum incrementum adhuc ſumit, at decrepitis iuſto eſt ſiccior.

Vſus. Plurimum nutrit, vrinam ciet, aluum mouet, & Venerem ſtimulat.

Damna. Tenues humores incraſſat, gignit craſſiores, ventriculum onerat, tardè conficitur, & aluum ſegniter permeat.

Correctio. Hanc noxam deponit, ſi ei intinctus ex ſinapi aliiſue id genus aromatibus, dum eſtur, adiungatur.

Gradus. Calida eſt capi caro primo gradu, humida ſecundo.

Tempus, Ætas, temperamentum. Frigido cœlo in vſum adhibenda, iuuenibus & cholericis: ſenibus autem euitanda & phlegmaticis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Capus, quod dißimilarium sit partium, craßi est nutrimenti: cerebrũ enim viscosum est, tardeque conficitur, id quod ei cum omnium animantiũ cerebris, quæ ventriculo noxia sunt, familiare est, prӕterquam quod nauseam inducant. Quare si vomitũ ciere voles, cibis reliquis cerebri nonnihil pinguiter apparati superedendũ offer. Rectè igitur principio mensӕ, cerebra animantiũ ex instituto & recepto more, eduntur. Animantium siccorum cerebra præstant cæteris: sunt autem in eorum censu mõtanæ præsertim auiculæ. Oculi similiter natura sunt aqueӕ, ex septẽ tunicis cõpositӕ, humoribus tribus, sex musculis, ac pinguedinis nomine plurimo nutrimento viscido constãt. Cutis, aures, nasus, labia, cartilaginosa sunt, quo fit, vt frigidũ gignant & viscosũ sanguinẽ, ac obstructiones pariant. Hanc ei noxã vsus sinapeos, aut id genus acrioris intinctus adimit: at linguӕ animãtiũ vnà cũ musculis vti & adenes, quӕ saliuӕ causa donatӕ sunt, facilè digeruntur, & palato gratißimӕ sunt. Adenes porrò & circa mammas inueniuntur, quӕ tum maximè prӕstant, cùm lactis copia turgẽt.

OVA.

Delectus. DEligantur iuuencularum gallinarum oua pinguium, & quas gallus calcarit, recentia: calore enim cæteris præstant, quod odoris & saporis iudicio facilè constat.

Vsus. Et citò & plurimùm nutriunt, coitum stimulant & Veneri materiam sufficiunt, phthisicis mirè sunt vtilia, thoracem expediunt, sanguinis sputum sistunt, ac vocem canoram reddunt.

Damna. Concoctionem remorantur, si alij iis cibi extemplò superedantur, & léntiginosam reddunt faciem.

Correctio. Vitellus duntaxat vtiliter editur, aliquanto inter oua & reliquos cibos temporis interposito spatio.

Gradus. Calida sunt & humida temperatè.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Omni tempori, ætati, & morbi generi conueniunt, dummodo recentia sint.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

GAllinarum non modò sed & perdicum & phasianorum oua, & laudantur, & in delitiis sunt. Ouum porrò potentia animal est, ex vtili humore excrementitio generantis procreatum. Tēperamento est adæquato. tametsi albumen frigoris, vitellus caloris particeps sit, vtrumque porrò humidum. Nutriunt quidem celeriter oua ob substantiæ tenuitatem, & liquoris temperamentum: at plurimum nutriunt, ob idoneam substantiæ suæ sese membris assimilandi, atque agglutinandi vim, idque ratione analogiæ, quam cum humana habent natura. Ab vsu albuminis cùm frigidū sit & duræ concoctionis, abstinendum est. Præstant reliquis, quæ fractò putamine in bulliētem coniecta aquam apparantur, quo loco censenda sunt, & cum putamine cocta, quæ tremula vulgus nuncupat. Sorbilia porrò, neque tam citò nec deò benè nutriunt. Dura renū gignūt calculum, frixa & tosta plurimis obnoxia malis sunt. Inueterata insigni malignitate vincunt cætera.

IECVR.

Delectus. ANſerinum, eorum præſertim qui lacte ſaginati ſunt, deligatur, pinguíſue gallinæ aut porci maſculi & iuuenis, qui paulò ante quàm mactetur caricis ſaginatus ſit.

Vſus. Palato placet, optimum corpori nutrimentum ſuppeditat, eoſque ſanat qui nyctalopia laborant.

Damna. Ventriculum grauat, concoctionem impedit, ſi præſertim animantis ſit, non eo quo dictum eſt modo, ſaginati, aut vieti.

Correctio. Corrigitur hoc vitium, ſi ad ſanguinis vſque conſumptionem cum ſaluia, lauro coquatur, indeque cum acido aliquo ſucco condiatur.

Gradus. Calidum eſt & humidum ſecundo gradu.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Omni tempori, ætati, temperamento conuenit, ſi ſuprà commemoratis præditum conditionibus fuerit.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

QVadrupedum, quæ legitimam ætatem superant. iecora praua sunt, ac peßimi nutrimenti, quod tardè digerantur, difficulter penetrent, crassos humores gignant ob suauem gustum, aliasque rationes. Galenus istorum animantium iecora commendat, quæ farina, lacte, caricis, saginata sunt, inter quæ primas tenent caporum & gallinarum hepata, secundas anserina, suum tertias, quanquam ego, bona cum Galeni pace, suum iecori, caprarum prætulerim hepar. Saginâ tantò præstantiora animantium euadunt viscera, quantò suem animal aliud vincit præstantia. Maiorum & nobiliorum piscium hepata gulæ maximè commendantur, prætercquam quòd & citò conficiantur, & optimè nutriant, quod helluonum facilè constat iudicio, qui talibus maximè insidiantur.

INTESTINA.

Delectus. OBesi in vsum petantur animantis, ipso ætatis flore mactati, optimè saginati, accuratè emundentur à sordibus, & ipsa sint obesa.

Vsus. Iis qui ventriculi & ventris ardore infestantur, vsui sunt, quòd frigidos gignant humores.

Damna. Infesta porrò his, qui varicibus, lepra atque id genus è melancholico humore obortis morbis obnoxij sunt.

Correctio. Quo fit, vt diligentem & exactam requirant coctionem, diutinamque elixationem, additis mentha & non parcè aromatibus, vt duritiem deponant.

Gradus. Frigida sunt & sicca gradu secundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Frigido duntaxat cœlo, iuuenibus, temperamento calidiori præditis, & plurimo exercitio deditis, intestina conueniunt.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

INteſtina animantium,hominum laboribus deditorum alimentis conſecrata ſunt,duriora ſiquidem ſui generis animantis carne ſunt At ſi exquiſitè & coquantur & probè à ventriculo conficiantur haud exiguum ſufficiunt corpori alimentum, quanquam ſanguine & frigidior & crudior ſit quem gignunt humorem. Vitulina cæteris præferuntur,citiuſque quàm vaccina & coquuntur, & concoquuntur. eandem merentur laudem hædorum, quæ palato gratiora ſunt,vnde non iniuria eis primas, vitulinis ſecundas, poſtremas vaccinis inteſtinis tribuemus,tametſi hæc illis & pinguiora ſint, & guſtui gratiora eſſe videantur. Exilio plectebantur apud Romanos ii,qui omaſi cauſa bouem mactaſſent.

TESTES.

Delectus. GAllorum ſint ſaginatorum, non prouectiorum quadrupedum. quòd ſi autem & his veſci lubeat, agnini ſint aut nefrendis ſaginatorum.

Vſus. Corpus affatim nutriunt, ſemen genitale augent, Venerem ſtimulant.

Damna. Tardè digeruntur, præſertim ſi annoſorum ſint animantium, ac ventriculum nonnihil aggrauant.

Correctio. Aſſantur itaque cum pulegio montano & ſale in butyro recenti, vel cum oxalidis ſucco elixantur.

Gradus. Calidi ſunt & humidi gradu ſecundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Frigido cœlo, ómni ætati & temperamẽto, præterquam ſenibus & phlegmaticis, conueniunt.

HISTORIA NATVRALIS.

TEstium & mammarum eadem est substantiæ ratio, quanquam testes mammis seminis genitalis causa, calidiores sunt. Gallorum saginatorum testes palato arrident, & laudabilis sunt nutrimenti. Quo fit, vt Auerroes tanti eos fecerit, vt tantum eos nutrire quantum ponderant, dixerit. Porci iccirco castrantur, vt delicatiores euadant carnes & ficciores: Tauri verò culturæ causa exsecantur, quò facilius cicurari possint. Porcorum testes præstant reliquis quadrupedibus, qui tametsi paulo tardiùs conficiantur quàm par sit, compensant tamen id vitium nutrimenti præstantia.

PEDES.

Delectus. CAprini ſint, agnini, aut vitulini: aut ſi aliorum animantium petuntur, iuniorum deligendi ſunt, eorumque qui laboribus exercentur.

Vſus. Bilioſis & tenuiori ſanguine prædi-tis vtiles ſunt, ſomnum conciliant, copioſè nutriunt, thoracis venas diſruptas conſolidant & phthiſicos iuuant.

Damna. Colico dolori obnoxiis nocent, iſchiadicis omnique arthritidis generi: lentos enim ac glutinoſos gignunt humores.

Correctio. Exactè itaque elixandi ſunt, vſque dum diſſoluantur, dein aceto & croco condiantur.

Gradus. Calore quidem temperato ſunt, ac humidi ſunt in principio primi gradus.

Tempus, Ætas, Têperamêtũ. Omni tempori, ætatibus autem iuuenili & craſi bilioſæ conueniunt, ſenibus porrò, pituitoſis & podagricis damna accerſunt.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

PEdes animantium anteriores præstant posterioribus. facit enim exercitii prærogatiua, qua posteriores longè superant vt teneriores euadant, & cõcoctioni magis idonei. Humorem gignũt pedes viscosum, tenacem & crassum, & sanguinem frigidiorem, quàm qui ex sui generis carne generatur. Vbi probè cocti fuerint, facilè conficiuntur, ac benè nutriunt. Et quanquam extremæ animantium partes carne destituantur, ob continuum nihilominus motum & maximos quibus fatigantur labores, duritiem eam atque visciditatem deponũt, quam nerui cæteraque membra laboribus minus obnoxia obtinent. Hoc pacto itaque commemoratorum animantium pedes apparandi sunt. Elixantur eousque dũ omnino tenerescant, dein aceto & croco condiantur, quo lentor omnis absumatur, atque sic capite mensæ imponantur, vt gulam proritent.

CYPRINVS QVI ET CARPIO.

Delectus. QVocunque haberi poterit tempore, cedat in vſum. Quacunque enim præditus fuerit ſeu forma ſeu quantitate, commodè menſis adhibetur.

Vſus. Optimè nutrit, guſtu eſt præſtanti & exquiſito, quo fit, vt omnium iudicio inter primæ notæ piſces recenſeatur.

Damna. Nulla damni nomine infamia laborat, præterquam quòd cito cõputreſcat, quamprimùm itaque coquendus eſt.

Correctio. Deſquamatus, & exenteratus, ſex horis ſale maceretur, dein in oleo frigitur, atque aceto, in quo aromata ac crocus bullierint, irroratur.

Gradus. Temperatè eſt calidus & humidus principio primi gradus.

Tempus Ætas, Tẽperamẽtũ. Quacunque anni conſtitutione conuenit, omni ętati ac temperamento.

HISTO

HISLORIA NAMVRALIS.

CYprinum, quem vulgus carpionem nominat, neque Græcorum quisquam nec Latinorum nouit. Dorsum habet nigris, fuscis, aureisque interpunctum maculis, Benaci duntaxat lacus incola, qui vulgo laco di garda nuncupatur, tametsi nonnunquam in lacu vulgo della posta dicto, vnde Fibrenus oritur, reperiantur: sunt tamen vsque adeò exiles, vt mensuram pondo non æquent, cùm Gardensis lacus carpiones sex & octo librarum producat. AEstatis principio parturiunt. Creditum est à multis, auro carpionem pasci, quòd in intestinis nulla alia excrementa, quàm sabuli aurum æmulantis reperiantur, quam opinionem istud auget quòd in lacus fundo perpetuùm degit. Quocunque modo apparetur, optimi est saporis. lauri foliis, myrthi & cedri incorruptus seruatur.

TROCTA SEV TVR-TVR.

Delectus. CRaſſa ſit, menſe Maio in rapidiſſimo flumine multis pręcipitibus ac ſaxis prædito capta, non autem ſtagnantibus aquis.

Vſus. Probè nutrit, citò digeritur, frigidiuſculum gignit humorem, ſanguini & hepati iuſto calidiori haud inutilem, ideoque cauſoni atque id genus ardentibus febribus rectè dicatur.

Damna. Citò computreſcit. capta itaque ſtatim menſæ inferatur, neque diu aſſeruetur, ſenibus & debiliori ventriculo præditis minus eſt idonea.

Correctio. Quare in coquendo omnis adhibēda cura eſt, vt cum æquis aquæ & aceti partibus elixetur, & cum acidis intinctis vel deſquamata & cute detracta, vti dictum eſt, edatur.

Gradus. Frigidus eſt principio primi gradus, humidus autem in primi gradus fine.

Tempus. Ætas, Tēperamentum. Calidæ aeris conſtitutioni conueni, omni ætati, præterquam decrepitis, cuiuis temperamento, exceptis phlegmaticis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

ET troctam veteres Græci ignorarunt: vnicus Latinorum Columella piscem Varium, D. autem Ambros. Tructam nominat, Ælianus Troctam. Ausonius eius hoc carmine meminit:

Purpureisque salar stellatis tergora guttis.

Maculis notata est rubris, aut purpuram colore æmulantibus, nigris plerisque locis distincta. Lacustres fluuiatilibus maiores existũt. Aduersus aquæ fluxum natitat, & altissima saxa præterfilit. Emortua & gustu, & natiua præstantia destituitur, quo fit, vt quãprimum capta est, esitanda sit. Scholæ Apitianæ sectatores hunc iubẽt, quo palato arrideat, in pinguissimi caponis iure elixari. Lacustres ægris fugiendi sunt: at fluuiatiles quòd more saxatiliũ facilè conficiantur vsque adeo eis commẽdantur, vt causone seu ardenti febri laborantibus permittantur. Genitale semen augent.

STVRIO.

Delectus. STurio qui & accipenſer fluuiatilis, is enim & obeſior & iccirco palato eſt gratior, quam maris incola, æſtiuo tempore captus, & quidẽ venter præ cæteris deligatur.

Vſus. Menſis habetur gratiſſimus, apprimè lautus, & cui primæ deferendæ ſunt: Optimè nutrit, Venerem ſtimulat, & ſanguinem modicè refrigerat.

Damna. Ægrotis atque è morbo conualeſcentibus illius vſu interdicitur, iuſto enim pinguiorem carnẽ obtinet, humorem generat lentum & tenacem qui tardè conficitur.

Correctio. Corrigitur elixatione facta in aqua & aceto, addito poſtea intincto albo, cui cinnamomi aliquid adiunctũ ſit.

Gradus. Calidus eſt principio primi gradus, humidus ſecundo.

Tempus, Ætas, tẽperamentum. Calidæ aëris conſtitutioni conuenit, omni tẽperamento, dẽptis his qui à deſtillationibus infeſtantur, & morbis articularibus.

HISTORIA NATVRAL.

Minutum adhuc sturionem Porcelletam nominant, vbi adoleuerit, sturionem, cùm vnus idemq. piscis sit specie In mari & fluminibus reperitur, è mari namque aduerso remigio in aquas dulces euagatur. Æstiuis mensibus, tam in fluminibus, quàm mari parturit. Nō vescitur piscibus, sed quisquiliarū quarundam pinguium sibi obuiis excremētis. Quouis anni tempore non hamo, sed retibus capitur. Omnes & marinos & fluuiatiles pisces gustus suauitate vincit. Ex sturionis ouis garo conditis, Cauiarum accolis fluminis Tanais nuncupatum cōficitur, quo crudo & cocto vescūtur. Istud in Tana dicti fluminis emporio, magna copia conficitur, quod aliūde à mercatoribus in alias regiones deportatur: deiectam ac prostratam appetentiam reducit, & potum præsumptum palato commendat. E pulpa partium spinæ dorsi salsamenta sale condita & fumo indurata conficiunt.

VMBRA.

Delectus. SYrio ardente optimus eius vſus eſt, quòd tùc præ cæteris anni temporibus obeſior ſit, & guſtui gratior, ac cæteris corporis partibus venter præfertur.

Vſus. Secundùm ſturionem, vmbra nobilitate & præſtantia vincit piſces reliquos, optimè nutrit, facilè conficitur, ſanguinem refrigerat, & Venerem auget.

Damna. Ventriculo frigido nocet, vtpote à quo haud facili negotio digeratur, niſi exquiſitè coctus ſit, atque obſtructiones generat.

Correctio. In aqua & aceto itaque elixandus eſt, & cum intincto albo edendus, aut aſſus interpunctus garyophyllis multoque oleo & omphacio irrigatus.

Gradus. Calidus & humidus eſt, temperatè gradu primo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Calido cœlo, iuuenibus & bilioſis conuenit, inutilis & noxius eſt ſenibus, pituitoſis, & his qui in ocio vitam traducunt.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

VMbra Græcis σκινὸς *ob natandi pernicitatem appellata est, quòd vmbræ instar inter natandum, visum spe-ctantium fallat. Prima ætate, argenti olorem æmulatur, adulta ea quidem orporis parte qua aquas subit, eundem etinet colorem, reliqua obscura est & igricante, sexaginta librarum reper-as esse asserunt. In mari ponè herbosos egit scopulos, amator gurgitum & erticosi maris in dulces non euagatur quas. Deuorat alios pisces, solus mare ulcat nullo ne sui quidem generis pis-ium comitante. Formidine correptus aput solum & oculos abscondit.*

MVLLVS.

Delectus. INter mullos, minores maioribus præferendi ſunt, faciliùs enim conficiuntur. cauendum verò ne è cœnoſis locis, aut aquis reſidibus & ſtagnãtibus, ſed ſaxoſis capti in vsũ veniant.

Vſus. Palato arridet mulli caro, venatorũ morſibus applicita medetur, maleficia per muliebre menſtruum illata ſanat.

Damna. Vinum in quo mullus ſuffocatus ſit, potui exhibitum, viro genitalem vim adimit, mulieri ſterilitatem accerſit. dura carne præditus eſt, & ægrè conficitur.

Correctio. Hanc noxam exuit, ſi in craticula aſſus oleo & arantiarum ſucco irrigetur, vel ſi aſſus cum aceto, aromatibus & croco condiatur, hoc enim pacto ad multos aſſeruatur dies.

Gradus. Calidus eſt primo, ſiccus principio ſecundi.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Calidæ aëris cõſtitutioni, iuuenili ætati, & билioſo temperamento, ventriculo autem robuſto præditis & laboribus deditis conuenit.

HISTORIA NATVRALIS.

MVllum Veneti sua lingua Barbonem nuncupant. alga, ostreis & minutis vescitur piscibus, præcipuè autem lepore marino, quo factum est, vt Dianæ sacer sit. raro bilibram excedit. Veteribus Romanis maximo mulli fuere in pretio, apud quos magno iecoris duntaxat caussa venibant. Marinus piscis est, quem tamen Oceanus Borealis non producit, & in aquis marinis stagnantibus reperitur, sed praui hic est alimenti. Educatur in piscinis aliorum piscium ritu. Ter anno proseminat, inde triformi Deæ eum dedicarunt veteres. Oppianus inquit:

Accipiunt Triglæ terno cognomina partu.

Mullum aiunt coci aperiendum non esse, sed integrè coquēdum, & more apud eos introductum est, vt osculum ei defigant. Barbonem mullū nuncupant, quod inferiori labro duabus barbis insignitus sit. Si vinum in quo suffocatus sit, cuiquā bibendum propinetur, is vinum imposterum abominatur & fit abstemius.

LAMPRETA.

Delectus. MEnſe Martio aut Aprili flumine capta deligatur, inſigni etiam tum aruina prædita eſt, & ſpinalẽ medullã teneriorem tunc temporis obtinet.

Vſus. Exquiſitiſſimi guſtus eſt, & magnatum menſis digniſſimum edulium, optime nutrit & genituram auget.

Damna. Paulò tardius quàm par eſt digeritur, præſertim ſi minus exactè coquatur. Aiunt podagricis eius vſum eſſe noxium, & quibus neruoſum genus debile eſt.

Correctio. Hoc autem pacto apparatur: Cretico vino ſuffocatur, os nuce myriſtica ei obturatur, & reliqua foramina caryophyllis, inde in ſartagine frigitur cum auellanis, nucibus, pane, oleo, aromatibus & Cretico vino.

Gradus. Calida eſt temperatè, & humida gradu primo.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Cuiuis aëris conſtitutioni, ætati, tẽperamento, decrepitis, podagricis & neruorum affectibus laborantibus vtilis eſt.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

LAmpretæ à petris lambendis nomẽ inditum est. promiscuè in mari & fluminibus degit. Veris initio dulces subit aquas, æstate ineunte denuò mare, quocunque loco appulerit, sub veris finem ibi parturit. Spinalis eius medulla quæ spinis minimè horret, æstate durißima euadit, ac tunc temporis esui minimè est idonea. Carnem obtinet laudabilis nutrimenti & quæ mensis grata est. Mustelam Latini nuncupant, Græci Galexian. Crassæ & maculis interpunctæ in alto capiuntur mari, longè à littore, rarò in fluminibus. Germani ab oculorum numero Neunaugen nominant.



DENTEX

Delectus. PInguem veteres & in sinu Tarentino aut Illyrico captum & iuscu-lo coacto coctum, commendarunt.

Vsus. Affatim nutrit, at si nimiùm obesus fuerit, nutriet minus, faciliusque concoquitur, aluum astringit.

Damna. Difficulter concoquitur, ventriculum aggraua, præsertim si in debiliorem incidat.

Correctio. Coquendi sunt dentices, quò esui aptiores fiant in aqua cum oleo & sale, vel dum assantur, oleo sæpe irrigandi & omphacio, vel etiam in coactoiure, vti dictum est, apparandi.

Gradus. Calidi sunt primo gradu, sicci secundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Hyeme palato iucundissimus cibus est, conuenit iuuenibus & biliosis, interdicitur eius vsu senibus & pituitosis.

HISTORIA NATVRALIS.

DEntices Græci Synodos nuncupant, minutuli natant & degunt solitarij ac separati à sui generis adultis: adultiores verò perpetuò in aliorum versantur consortio. Piscatores ipsos inescãtes hoc astu eludunt, quòd in vnum cõglomerati mutuas sibi in dehortando ac cauendo, ne ad escam capessendam adnatent, tradant operas. Quicunque se à piscium consortio separârit, hic facili negotio in nassam incidit, ac præda piscatori fit, quæ res apud piscatores in prouerbium abiit. Dalmatæ Denticem in segmenta diuisum, cum sale, aceto & croco coquunt, atque in iure coacto in Italiam ad mercatum deuehunt.

AVRATA.

Delectus. SIt hyeme capta in alto mari haud alio anni tempore, neque in ſtagnāti & reſide aqua. præferuntur cæteris qui in Eoo mari capiuntur.

Vſus. Optimi eſt & copioſiſſimi nutrimenti, ſi probè à ventriculo conficiatur, antidoton contra venena præbet, & Venerem auget.

Damna. Difficulter concoquitur, duriori enim carne conſtat, minus iccircò iis idonea qui ventriculo ſunt debili.

Correctio. In aqua elixanda eſt & oleo, cum croco, aromatibus, vuis paſſis, & herbis fragranti odore præditis, vel torrenda eſt in craticula.

Gradus. Calida eſt temperatè, ſicca verò gradu primo.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Hyemi eſt idonea, quòd tum ſuauiori, quàm aliâs guſtu prædita ſit, iuuenibus maximè, atque his qui calido temperamento præditi ſunt, ventriculo robuſto, & qui laboribus ſeſe exercent.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

AVrata à superciliis colore aurum æmulantibus nomen adepta est, vnde & Græcis χρυσόφρυς *dicta quod ilia argenteo colore notata habeat. Marinus piscis est prope littora stabulans: Aestiuis parit mensibus propter fluuiorum ostia: æstus vsque adeo impatiens, vt 60. diebus durante solis intensissimo ardore, in maris profundum sese abdat. maximo est magnatum mensis in pretio, primasque facilè obtinet: prædator & ea est, vtpote quæ ex piscium captura duntaxat viuat. Sunt, qui in lacubus auratas inueniri asserunt, cuius tamen nusquam locorum scriptores commeminere. Sergius Aurata primus auratas in piscinas transtulit, atque inde ad posteros nomen dimanasse, veri non est absimile. Meticulosum piscium genus est, circo se sub littoralium arborum radicibus abducit, cumque concussis & dimotis arborum ramis & frondibus immensè terreantur, insidianti facilè in prædam cedunt.*

LOLIGO.

Delectus. EXiles præſtant grandibus, quòd tenera carne ſint, ſfaciliuſque cõcoquantur, ſunt autem deligendi marini, non lacuſtres.

Vſus. Guſtus eſt exquiſiti, & magno in pretio in menſis loligo, orexin excitat, plurimi præterea eſt & optimi nutrimenti.

Damna. Grandiores ægrè concoquuntur, & paralyticis noxius eorundem vſus eſt.

Correctio. Farina aſperſa frigenda eſt, ſuccoque irriganda arantij, rectiùs tamen in vini & aquę æquis portionibus, oleo inſuper, pipere, ac herbis fragrantibus, vnà cum ſuo ſucco coquitur.

Gradus. Frigida eſt gradu primò, humida ſecundo.

Tempus Æta. Tẽperamẽtũ. Exilis omni ætati, quouis anni tempore, cuiuis conuenit, grandior minus eſt idonea, ac ventriculum robuſtiorem requirit, quia ægrè digeritur.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

QVi loligo Latinis, is τευθὶς Græcis dicitur, quolibet hic mari alitur, exſanguis eſt, more omnium qui molli carne conſtant piſcium, quibus caput & pedes Ventri inſeruntur. Octo pedes in lõgitudinem obtinet, ſine Viſceribus, Vti & cæteri μαλακοί. ſuccum habet atramento ſimilem Veſicæ incluſum, qui metu perculſo loligine, foras emanat haud ſecus atque timidis, commoto corpore, effuſo in cutem ſanguine, contingit hominibus. Græcis hic ſuccus θυ'λον dicitur, Veſiculam μικόνα appellant, hoc, aqua turbata, piſcatorum Viſum effugit. geminũ habet fœmella inteſtinum quod mammarum Vicem ſupplet, oua item parit, quo differt à maſculo, qui hiſce deſtituitur. In dulcibus non reperitur aquis. Nõ incedit, ſed ſepiæ in morem natat, aut hirundinis inſtar ſupra aquas Volitat. Cephalis Veſcitur atque id genus grandioribus piſcibus.

LABRAX.

Delectus. SIt candidissimus atque mollissimus, quem Lanati nostrates vocāt, in Tybere captus, inter vtrunque pontem, idque hyeme & mense Ianuario.

Vsus. Exquisitissimi gustus est, mensis gratus, affatim refrigerat, succumque frigidum, tenuem & subtilem gignit.

Damna. Grauidi labracis noxius vsus est, quòd plurimos gignat humores excrementitios, quo vno nomine perpetua quadam lege ab eorum mensis exterminandus, qui destillationibus laborant.

Correctio. Corrigitur verò nonnihil istud vitium, si lento igne in craticula torreatur, irrigatus affatim oleo, aceto, ac sale, vel si in aqua & aceto elixus, cum albo intincto acido comedatur.

Gradus. Frigidus est & humidus secundo gradu.

Tempus. Ætas, Tēperamentum. Ianuario mense omnibus suis numeris absolutus est, vnde apud nostrates in prouerbium abiit, Gennaro Spigolaro, ac tunc temporis omni ætati & temperamento conuenit.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Labrax & Lixos qui Græcis dicitur, hunc Ragno Hetrusci nominãt Veneti Varolo, Genuenses Louazzo, Neapolitani Spinola, osseam habet linguam, lapidem in capite, & cor triangulum, in mari nascitur ac flumina subit, ac veluti supra aquas natitat, bis anno parit. Postremus fœtus vitæ breuis est. Aliorum piscium carne vescitur, rapax est, vorax, crudelis. Cephali caudam arrodit, quocum illi vicaria est inimicitia, exceptis Iunio Iulio, & Augusto mensib. quibus summa inter ipsos est cõcordia. Cum se reti cinctum persentiscit, arenam eousque sulcat, dum sibi elabendi viam inueniat. Infixum hamum dilatato vulnere euellit, hunc Astaces demũ (quos magno numero deglutit) cornu quod in fronte gerunt, intestinis vulneratis interimunt. Latini Labracem lupum nominant.

CEPHALVS.

Delectus. DEligatur in mari captus non cœnoſo, ſed arenoſo & ſaxoſo littore Boreæ obuerſo, non grauidus, neque pinguis: ſunt etenim inſipidi qui tales exiſtunt.

Vſus. Palato admodum gratus eſt, iuſculum in quo coctus, aluum ſubducit, optimi eſt alimenti, oculorum doloribus fel medetur.

Damna. Ventriculo nocet, ſi ex lacuſtri & cœnoſa aqua captus ſit, & ægrè conficitur, prauos gignit & excrementitios humores.

Correctio. Grandiores vel elixantur vel torrẽtur, exiles friguntur. Vnà cum origano coquuntur illi, hi ſucco arantiorũ condiuntur.

Gradus. Frigidus eſt primo gradu, humidus ſecundo.

Tempus, Ætas, tẽperamentum. Autumno cõuenit & hyeme, iuuenibus, calido temperamento & robuſto ventriculo, ac laboribus deditis.

HISTORIA NATVRALIS.

*Cephalos ieiunos omnes nuncupant,
non quod à cibo in vniuersum ab-
ineant, sed quòd animati nihil assu-
nant: neque enim à mutua duntaxat
aniena abhorrent, verum etiam ab o-
nni prorsus carne: hinc fit vt à piscato-
ibus non carne sed pane inescentur.
lga victitant & arena, hamum, cui
aro affixa, ne attingunt quidem. Im-
lentur mense Decembri, triginta dieb.
lnum gestant, semel duntaxat at sin-
ulis annis pariunt, idque iuxta flumi-
um ostia. E Cephalorum ouis salsamē-
a Græcis ὠοταριχα dicta conficiuntur.
Minuta cephalorum oua partesue tene-
iores adhuc à nullo piscium genere ex-
etuntur, nisi vbi grandiuscula euase-
int, tunc enim iis insidiantur cuncti.
n omnibus fluminibus capiuntur, ma-
nis imbribus exoccantur, dum libidine
itillantur, nullo negotio fiunt prædæ
iscatoribus, & stolido metu capite sub
quis occultato, prorsus se latere existi-
nant.*

CLVPEA.

Delectus. QVæ degit in aquis dulcibus deligatur, non marina, fluuiatilis enim obeſior euadit, tenera optimoque ſapore prædita, menſe Aprili, vel Maio capta, ouis fœta.

Vſus. Grata eſt palato, affatim nutrit, ſõnum prouocat, quem in capite lapidem geſtat quartanarios curare dicitur.

Damna. Pelagia noxia eſt, ob duriores iuſto carnes: ventriculum etenim ea offẽdit debiliorem, & pituitam gignit.

Correctio. Melior euadit, ſi in aqua cum ſale & aceto cocta cum acido intinctu edatur, vel ſi torreatur cum aceto, oleo fœniculo, roſmarino & ſaluia.

Gradus. Frigida eſt primo gradu, humida ſecundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Quæ in flumine ineũte vere capitur, cuiuis conuenit ætati, temperamento, ſi moderatus eius vſus ſit.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

QVam clupeam Latini, Græci θρίσσαν Veneti sua lingua Chieppã, Neapolitani Alosam, Ausonius Alosum nuncupant: hæc tanta gustus suauitate prædita est, vt nulli piscium cessura sit, nisi spinis supra modum horreret, præsertim illa quam alit Tiberis: post has commendantur quæ in Arno degunt, postremas tenent Vulturni incolæ. Marinæ aridæ sunt, siccæ, duræ, quam naturam, vt primum è mari flumina subeunt, prorsus mutant, fiunt maximè obesæ. Principio Iunii parturientes mare repetunt. In flumine non nisi fœta ouis aut semine, quod lactium nomine dignantur scriptores, reperiũtur. præstãt cæteris quæ plena ouis sunt.

THYNNVS.

Delectus. DEligatur iuuenis mense Septēbri macra, non obesa.

Vsus. Caro rabidorum canum morsus sanat. Venter qui pingui omaso haud secus quàm suillus, præditus est, in mensis expetitur.

Damna. Magnū humoris excrementitii prouentum gignit, tardè digeritur, pituitam auget, ventriculum onerat.

Correctio. Sale conditus præstantior euadit, recens in craticula cum aceto, coriandro, sale & multis aromatibus torretur.

Gradus. Frigidus est primo gradu, humidus secundo.

Tempus. Ætas, Tēperamentum. Autumno & hyeme estur, idque iuuenibus duntaxat, biliosis qui robusto ventriculo præditi sunt, & plurimum sese exercent.

HISTORIA NATVRALIS.

Thynnum vno eodēque nomine appellant Græci & Latini, infestatur diebus canicularibus à vermiculo quodam Asilo aut Tabano non absimili, quo fit vt tū eius vsus vitandus sit. attritu vtitur mense Februario, æstiuo parit solstitio, in Ponto duntaxat, haud alibi, paucorum dierum spacio more reliquorum piscium crescit, in Ponto porro citius quàm vspiam alibi incrementum sumit. Natus primùm Cordilla nuncupatur, non multo post Limosa, inde Pelamis, tandem sub anni finem Thynnus. Crudelis est, vt qui proprios deuoret fœtus: dextro oculo intensius, quàm sinistro videt, carnibus & glandibus duntaxat vescitur. In eam attollitur crassitiem, atque aruina vsque adeo intumescit, vt medius disrumpatur, neque vitam vltra biennium extendit. è carnibus eius sale maceratis, Tonina vulgo dicta conficitur, at ex abdomine & ouis salitis ὀαταριχὰ *Græcis, nostris Botarghe dicta salsamēta fiunt. vnici oculi ministerio dūtaxat vtitur, ea itaque corporis parte qua lumine præditus est, fundo obuersus natat.*

TINCA.

Delectus. FOemina deligatur non masculus, quæ in flumine aut lacu minimè cœnoso, idque autumno aut hyeme, non æstate capta sit.

Vsus. Corpori quidem exiguum, aut penè nullum vsum præbet, at in longum per dorsi spinam dissecta, & pedum plantis admota, febrilem æstum restinguere creditur.

Damna. Tardè digeritur, ventriculum grauat, praui est nutrimenti, ardẽtis præsertim Syrii tempore.

Correctio. Cum allio itaque herbisque fragrãtibus & aromatibus, in furno, aut cum oleo, cepis & vua passa, aut vua inuersa, mentha, allio, petroselino & aceto farcta coquatur.

Gradus. Frigida est & humida secundo gradu.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Frigido cœlo, iuuenibus, biliosis, & multis laboribus deditis conueniens cibus est.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

TIncarum veteres non meminere, ac in promptu quidem causa esse videtur, quòd plebeius piscis sit, ac vulgi, vt dici assolet, solatium. Solus Cicero in lib. de claris oratoribus, Placentini cuiusdam oratoris mentionem ingerit, qui tincæ cognomentum ob facetum ingeniũ meritus sit. In fluminibus duntaxat aut lacubus, mari nunquam inueniuntur, ac lacustres quidem cœnoso ac nidoroso sapore plerunque præditæ sunt. fluuiatiles non quouis anni tempore, sed autũno, cùm obesæ admodum sunt, capiuntur. maris accolis haud magno in pretio sũt, at pluris his fiunt qui longè à mari habitant. Laboriosorum hominum alimentum, eorumque qui ventriculo sunt robusto. à Maio itaque ad Nouembrem vsque mensem tincarum pessimus vsus est.

LVCIVS.

Delectus. LVcius fluuiatilis deligatur, aut lacustris, minimè è cœnoso lacu captus, magnus, recens, obesus.

Vsus. Plurimum nutrit. maxillæ lucij cremati & in pollinem redacti, & aurei pondere, vino exhibiti, calculos frangunt.

Damna. Difficulter concoquitur, pessimi est nutrimenti, ventriculum onerat, pituitam auget.

Correctio. Quare elixandus est cum herbis fragrantibus & oleo, & cum albo intinctu edendus, vel in craticula tostus cum origano estur & aceto.

Gradus. Frigidus est & humidus gradu secundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Durus cùm sit cibus, hyemi præ cæteris anni temporibus conuenit, iuuenibus, & biliosis, fluuiatilis tamen minus noxæ habet, faciliúsque digeritur.

HISTO

HISTORIA NATVRALIS.

Lucij ceu Tincæ assecla ac assidui comitis veteres non meminere: nã & ei cohabitat & cum eo capitur, maris non est incola, fluuiorum rarus, vt plurimum autem in stagnis capitur, ac cœno delectatur. Vix decem toto anno in Tyberi capiuntur, iique lactis in morem tenelli: Maio mense parturit, toto anno capitur. Κρεωφάγος *est, atrox, crudelis, vt cui reliqui pisces sui præsertim generis in cibum cedant. Vulnera sua affrictu Tincæ curat. Infirmis omnino vitandus, quicquid tandem triuialium Medicorum turba obganniat, qui sine delectu imprudenter eius vsum ægris concedunt.*

ANGVILLA.

Delectus. MArtio mense, in mari sabuloso non cœnoso, capta in vsum deligatur, ac coquatur à captura illico.

Vsus. Gustus est exquisiti, optimè nutrit, sale condîta diu asseruatur, ventriculoque contra pituitam vtilis euadit.

Damna. Flatuum aliquantulum gignit, si præsertim eius spina edatur, ac humidi superflui nonnihil obtinet.

Correctio. Id ei vitium paruo negotio adimitur, si super craticulam in chartæ folio cum oleo, apio & coriandri semine torreatur, vel si cum sale & origano paucis diebus condîta, asseruetur.

Gradus. Frigida est principio, & humida in fine primi gradus.

Tempus, Ætas, Temperamentū. Verno tempore omni ætati, temperamento, moderatè tamen assumpta conuenit.

HISTO.

HISTORIA NATVRALIS.

ANguillæ ob gustus suauitatem in mensis expetuntur sine ouis: semi- & attritu progignuntur: nam in sta- is aqua exsiccata, è vestigio post plu- am gignuntur, pluuiaque & viuunt nutriuntur. Prope fluuiorum ostia in ari nascũtur, vbi algæ est copia, in sta- is item prope littora. In omnibus la- bus & stagnis reperiuntur, aqua lim- issima delectantur, enecantur à tur- a, vti & si aquæ copia destituantur, ud secus atque respiratione prædita imantia, quæ copioso aere destituta focantur. Interdiu dormiunt, seseque tuò depascuntur. In Arethusa circa bæam, anguillas sese vidisse refert henæus, cum inauribus aureis & ar- teis, ita cicures, vt cibum è cuiusuis rigentis manu sumerent: octennium unt. sextiduum extra aquam, aqui- e spirante. Refert idẽ, cũ insignẽ an- llã in cœna cõspexisset, è cõuiuãtũ nu- ro quẽdã dixisse: Tu cõuiuii huius eris ena, ego Paris. Diis cõsecrabatur in tia. Achestratũ memorãt reginã & ptatũ ducem anguillam nuncupas- exum in anguillis non est reperire.

SARDA.

Delectus. QVæ capta eſt Martio aut Aprili menſibus, in mari ſabuloſo, non cœnoſo, & mox à captura cocta, præfertur cæteris.

Vſus. Exquiſiti guſtus eſt, optimè nutrit, ſale condîta diutiſſimè aſſeruatur, & ſtomacho pituita ſaburrato hoc pacto cocta vtilis euadit.

Damna. Flatuum nonnihil gignit, ſi præſertim ſpina edatur, & humidi plus iuſto obtinet.

Correctio. Apparabitur itaque vtiliter hunc in modum, ſi in craticula papyro oleo imbuta inuoluta, cum petroſelino & coriandro torreatur, vel ſi cum ſale & origano condîta aliquot diebus aſſeruetur.

Gradus. Frigida eſt principio primi gradus, humida in fine primi ordinis.

Tempus Ætas, Tēperamētū. Ineunte vere omni ætati ac temperamento moderatus eius vſus conuenit.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

PErpautis incognita eſt Sarda, quòd Vbique locorum inueniatur, ſeu re-ns, ſeu muria condita: puſillam Mem-adam nuncupant, grandiorem Sardi-um, inde Sarda: in mari duntaxat de-t, ibidemque capitur. Sardinam voca-um adhuc, ſale condiunt, & Halecem ut Anchium nominant. bis parturit nno, ingreſſa Pontum non redit, ſed I-rum fluuium ingreditur, ac per mea-us ſubterraneos dicti fluminis Adria-cum mare ſubit. Muſico conuentu ad-odum delectatur, ad cuius ſonum è ari proſilire conſpicitur, foliis betæ ca-tur. Conditæ ſale, appetitum conciliãt, omachum à pituita expediunt, ideoque nualeſcentum primis menſis adhiben-r.

ERYTHRINOS.

Delectus. VTilior eius vſus eſt hyeme, quàm cæteris anni temporibus, ſi recẽs, elixus,& frigidus edatur.

Vſus. Teneram habet & gratam palato carnem, & quæ facilè conficiatur, optimè nutrit,& cõtinuè vtentibus impensè ſalubris.

Præparandi ratio. Si quam malignitatem ſecum trahit,eam ſi frigeatur & cum arãtij ſucco ſeu pipere condiatur,deponit, aut ſi calidus cum omphacio ſumatur.

Gradus. Temperatus eſt in actiuis qualitatibus,humidus porrò gradu primo.

Tempus. Ætas, Tẽperamentum. Hyeme præfertur aliis, vti dictum eſt,anni partibus, omni ætati, ac temperamento,ſi debita quantitate aſſumatur.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

ERythrinos à Græcis dictus, rubro colore insignis, fraga æmulatur. Veneti hunc Arborem nuncupant, Latini Rubellum. Marinus piscis est, neque dulcis aquæ incola, at circa maris nonnũquam stabulatur littora natus scaet è vestigio ouis, vnde sexu fœminæ omnes esse credũtur, grauidæ sunt æstate. Præstantior itaque eorum vsus hyeme. Cæterorum piscium carnibus vescuntur, astacorum maximè. cateruatim cæterorum segregati piscium consortio nunquam palantes aut vagabundi incedunt. Inter præstantissimos & maximè exquisiti gustus pisces numerantur.

OSTREVM.

Delectus. LOco minimè cœnoso captum d[...] ligatur, quod in fundo veterum nauigiorum, iis mensibus in quorum denominatione R littera reperitu[...] natum sit, recensque edatur.

Vsus. Succum intra se salsum contine[...] qui corpus plus cæteris testaceis mo[...] uet, orexin excitat, Venerem prorita[...] parum nutrit.

Damna. Parit aliquid difficultatis, dum co[...] quitur ventriculo, pituitam icc irco i[...] frigido ventriculo coaceruat, & ob[...] structionibus obnoxium est.

Correctio. Apparatur pipere, oleo, arantiar[...] acidarum succo, postquam super pru[...] nis coctum fuerit, nunquam elixan[...] dum est.

Gradus. Calidum est primo gradu, humid[...] secundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Frigido cœlo, iuuenibus conueni[...] biliosis & robusto ventriculo prædi[...] tis.

HISTORIA NATVRAL.

OStreum capite caret, cuius defectũ sarcit meatus in superiori parte, per quem excrementa deponit. sexus in eo nullus est. Ouiparum est, atque ex vnico ouo succum prolificum producit ac fœcundum lactis in morem. E cœno ad putredinem vergente gignitur, aut ex spuma quæ nauibus aliquãdo adhæret. Extra aquã minimè vitale est, tametsi intra se nec aerem, neque quid alieni humeris recipiat, motus localis est expers, diuulsum etiam à loco cui adnascitur, sensu destitutum, ad lunæ motum crescit ac decrescit. Peregrinatione ac trãslatione ad alias aquas delectatur præcipuè ad fluuiorũ ostia. Principum delitiæ, diuersis reperitur prædi-tum coloribus. Quorum mensium denominationi R littera deest, inutile est ostreum, nam quod eo tempore Venere titilletur, insipidum euadit. Veteres ostreum delitiosi & spumosi epitheto insigniuerũt. Lucrini lacus incolæ cæteris olim præferebantur.

CANCER.

Delectus. ESto fluuiatilis, aut ad minimum ex aqua dulci captus, is ſiquidem marino præfertur, idque vere ineunte vel autumno pleniſunij tempore.

Vſus. Phthiſicis vtilis eſt, demorſiſque à cane rabido, vrinam ciet & Venerem, renes purgat & affatim nutrit.

Damna. Difficilis eius caro eſt cõcoctu, craſſoſque & pituitoſos gignit humores.

Correctio. Viui itaque ſuper prunas torrendi ſunt, dein cum aceto & pipere edendi.

Gradus. Frigidi ſunt ſecundo gradu, humidi primo.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Æſtuante cœlo, iuuenibus, bilioſo temperamento præditis & ventriculo calido cibus eſt idoneus.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

CAncer Græcis καρκίνος dictus fuit, cauda caret, sed corpore est rotun-do, omniaque organa sensuū sub pecto-re recondit, quia capite destituitur. O-culis hirquis aspicit, dextra illi chelarū sinistra maior est. Ore coit, & partibus interioribus æquè perniciter retrocedit atque progreditur, extra aquam terræ cauernis gaudet, vitalis admodum est: vere appetente exuuias deponit. Dum coquitur, rubra euadit. è cadauere pu-trefacto scorpionem nasci perhibent. In litoribus conuenit cum cancro cammaris quorum nusquam meminere vete-res. Habet & squilla plurimum cōmune cum cancro. In Phœniciæ fluminum lit-toribus adeò pernices sunt cancri ac ve-loces, vt difficulter capi possint.

LIMAX.

Delectus. IN vſum veniant, qui in montoſis & longè à paludibus diſſitis locis lecti ſunt, odoriferas herbas depaſti, optimè ab excremẽtis mundati, quibus accenſeri ii poſſunt qui è vineis leguntur.

Vſus. Ventriculo vtilis eſt, & palato gratus, plurimum nutrit, iuuat phtiſicos, bilem compeſcit, & ſitim ſedat, ſomnumque prouocat.

Damna. Tardè digeritur, faciléque in pituitam faceſcit, ac nephriticis noxius eſt.

Correctio. Coquẽdus itaque exquiſitiſſimè eſt cum herbis odoriferis, mentha videlicet, petroſelino, calaminta, allio atque oleo.

Gradus. Frigidus eſt primo gradu, humidus ſecundo.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Anni conſtitutioni frigidæ conuenit, iuuenibus, billioſis, iiſque qui robuſta ſunt corporis conſtitutione.

HISTORIA NATVRALIS.

LImacem Veneream pugnam iuuare protritum est: Vtrum verò coitu an putrefactione progignatur, huc vsque ambiguum est apud scriptores: latet hyeme, ostiúmque vsque adeò duro operculo occludit, vt gypsum duritie æquet, atque ita obthurati inter præstantissimos habentur. Apud veteres tanti æstimabantur, vt in piscinis asseruarentur, & cum sapa, farre atque id genus aliis esus ad vsum saginarentur. Summa adhibenda cura est, ne è cœnosis locis petiti in vsum veniant, aut ii qui nocuas herbas minimè depasti sint. Id quod gustus & odoratus iudicio facilè sciri potest. nam qui non putent, nec praui saporis sunt, & qui optimè sunt à recrementis purgati ac apparati, exquisitissimeque cocti, haud malè nutriunt. Succus aluum mouet. Optimi sunt qui in dumetis colliguntur.

TESTVDO.

Delectus. MAgna deligatur, ouis fœta, optimisque cibis domi antequam edatur, saginata.

Vsus. Admodum nutrit, phtisicos iuuat atque extenuatos.

Damna. Tardè digeritur, crassum gignit sanguinem ac pituitosum, pigros reddit ac somnolentos.

Correctio. Exquisitissimè itaque coquenda est primoque ac secundo decocto abiecto, cum calidis herbis & aromatibus apparanda.

Gradus. Frigida est primo gradu, humida secundo temperatè.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Calidæ temporis constitutioni cõuenit, iuuenibus, cholericis ac laboribus deditis, diligensque habenda ratio vt exactè coquatur & præparetur.

HISTO

HISTORIA NATVRALIS.

QVæ animantia pennis, squamis ac crusta teguntur, renibus omnia destituuntur, præter testudinem omniū animantium viuacissimam, vsque adeò etiam, vt vel dissecto capite, atque exẽpto corde, quàm diutissimè superuiuat. acutum edit ac breuem sibilum, oua parit duro putamine & bicoloria, auium ouis simillima, quæ in terram recondita, crebrò inuisit, atque excludit, fœtumque anno exacto in lucem profert. Contusum sit ex carnibus, eximium infirmis seseque ex morbo recolligentibus alimentum, affatim refrigerat & phthisicis ex vsu est.

TELLINÆ.

Delectus. GRandes, apertu & hiatu faciles, optimeque ab arena expurgatæ deligantur.

Usus. Recentium decoctum aluum reddit lubricam, vrinamque ciet, muria condîtæ in cinerem facescunt qui pilos renasci vetat.

Damna. Tardè digeritur, ventriculum onerat, sitim prouocat, pectus astringit Tellina.

Correctio. Cum vino coquatur & petroselino, vel id genus herbis fragrantibus & aromatibus.

Gradus. Calidæ sunt primo gradu, siccæ secundo.

Tempus, Ætas, tēperamentum. Frigido cœlo, senibus, pituita laborantibus, & laboribus deditis conueniunt.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Tellinarum paucis meminere prisci, recentes & primùm captos corpus soluere prodiderunt. sale conditæ, si in puluerem redigantur & cum succo citri subigantur pilos renasci vetant. nostro seculo abolitus est vsus sale tellinas condiendi. Recenti perfusi aqua, & diē, vel biduum in ea relicti, ab arena eluuntur & emundantur: Gratißimæ palato redduntur, si cum vino coquantur: nam ea ratione omnem superuacaneum humorem deponunt si præsertim odoratæiis herbæ addantur. Pueri ex testis fistulas conficiunt. Hispani sua lingua Brignigois Tellinas nuncupant.

RANÆ.

Delectus. QVæ in vſum deliguntur aquaticæ ſint, vitatis terreſtribus, grandes, optima corporis conformatione, cœlo minimè pluuio natæ.

Vſus. Elixæ cum oleo & ſale ſi edantur, antidoton contra omnia angium venena ſuppeditant, decoctum eorundem ex aqua & aceto, omnibus dentium doloribus medetur.

Damna. Duræ ſunt concoctionis, ventriculum grauant, pituitam augent, & prauum ſuppeditant nutrimentum.

Correctio. Exquiſitè itaque coquendæ ſunt, & cum intinctu ex calidis & odoratis herbis, addito pauco allio, facto, apparandæ.

Gradus. Frigidæ ſunt ſecundo gradu, & humidæ primo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Calidis conueniunt anni temporibus, iuuenibus, cholericis multo exercitio deditis, fugiendæ verò ſenibus & pituitoſis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

RAnæ linguam habent & vocem, oua edunt, è quibus nigræ & minutæ carnium massæ prodeunt, oculos duntaxat & caudam referentes: hæ sumpto temporis tractu, incremento pedes atque cætera membra efformant, semestri viuunt duntaxat spatio, inde in limum denuò conuersæ vere rursus nouo noua procreatur soboles. Bina habent iecora. Noctu attritu vtuntur & hymenæum peragunt, masculo fœmellæ incubante. Cyrenis & in Seriphio insula mutæ sunt, temporis præsagæ existunt, cuius mutationem multa coaxatione denunciant. Plinius lib 8. cap. 29. tanta refert multitudine aliquando in Galliæ quadam prouincia inundasse ranas, vt incolas fugarint.

PIPER.

Delectus. GRana ne sint obsoleta, marcida ac leuia, sed recentia, ponderosa, plena, nigra, haud supra modum rugosa. hæc etenim omnia maturitatis sunt indicia.

Vsus. Concoctionem adiuuat, deiectam appetentiam restaurat, flatus discutit, ventriculum roborat, neruos vehemẽter calefacit, atque lacertos, vrinam ciet, & pituitam absumit.

Damna. Calido temperamento præditis noxius eius vsus est, cœlo maximè ęstuãte, & regionibus calidis, semen genitale absumit, ac immoderatus eius vsus sanguinem inflammat.

Correctio. Modus itaque in vsu adhibeatur, & anni frigida constitutione, cibis temperie frigidis & humidis adiungatur, neque nimiùm teratur.

Gradus. Calidum est & siccum in tertio gradu, ac propè quarti principio.

Tempus Ætas, Tẽperamẽtũ. Frigido cœlo conuenit, senibus pituitosis & à destillationibus infestatis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

IMmaturum piper album, maturum nigrum appellant. Colligitur autem Octobri mense in India, & soli expositũ exsiccatur, storeis ex dactylorum foliis instratum, dum rugas cõtrahat, id quod tridui perficitur spatio. Omne piper calefacit, vrinam prouocat, concoctionem promouet, attrahit, resoluit, caliginem oculorum tollit, partumque accelerat. Locellis muliebribus post congressum inditum, conceptionem impedit. Tussim & pectoris vniuersa vitia electuariis immistum emendat, cum vuis passis masticatum pituitam à cerebro elicit, sanitatem conseruat, mouet appetentiam, & concoctionem iuuat.

CINNAMOMVM, CANELLA VVLGO DICTA.

Delectus. DEligatur recentissimum, quoad eius fieri potest, id quod insignis ac suauis odor facilè prodit, sapore acri, colore ad rubrum vergente.

Vsus. Vrinam ciet, venenis resistit, cerebrum corroborat & vniuersa viscera, visum confortat, putredinem arcet.

Damna. Nocet biliosis, cœlo calido & regionibus, item calidioribus, nimius etenim vsus viscera inflammat & sanguinem adurit.

Correctio. Minimùm itaque nocet, si pituitosi eo cibi condiantur, anni tempore frigido, & si modicus eius vsus sit.

Gradus. Calidum est & siccum gradu tertio.

Tempus. Ætas, Temperamentum. Conuenit anni temporibus frigidis, senibus, frigido temperamento præditis & qui ventriculo sunt debiliori.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

CAnella legitimi & germani Cin-
namomi loco vtimur, neque enim
ostro æuo gnisium ad nos defertur cin-
amomum, nisi minima quantitate, &
ummis Principibus. Vi pollet aromati-
a canella, habet & vellicantem linguã
credinem quandam, quo fit, vt omnia
nembra corroboret, tussi medeatur ca-
erisque pulmonum affectibus, obstru-
tiones aperiat, iecur corroboret & vẽ-
riculum, humiditate eius superuacanea
bsumpta, morsibus venenatorum me-
leatur, concoctionem iuuet, flatus discu-
iat, cor corroboret, anhelitum commen-
let, lac & geniturã multiplicet. Pur-
at, corroborat, & caput iuuat.

GARYOPHYLLI.

Delectus. ODoris ſint & ſaporis abſolutiſ-ſimi. hæ etenim qualitates re-centes eſſe arguunt.

Vſus. Principes corporis partes, ſtomachũ imprimis corroborãt, fluxum ſiſtunt, vomitum ſedant, fœtentem animam corrigunt.

Damna. Cholericis nocent, æſtate maximè, cibis ingratam quandam amaritudi-tudinem conciliant, ſi affatim iis con-diantur.

Correctio. Quibus malis obuiare facilè licet, ſi pauca quantitate à pitu itoſis, vel cœlo frigido cibiſque additi humidio-ribus aſſumantur.

Gradus. Calidi ſunt & ſicci ordine tertio.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Hyeme eorum vſus conuenit, id-que ſenibus, pituitoſis & deſtillatio-nibus laborantibus.

HISTORIA NATVRALIS.

N orientis Indiæ quibusdam maris nsulis proueniunt garyophylli, qui ob grantis odoris suauitatem ad nos eruntur. facultatem concoctricem mouent, anhelitum commendant, useam & anorexiam corrigunt. Cor ximè reficiunt, spiritusque multipli- t, pondo quatuor drachmarum, cum te epotæ, Veneream luctam mirum- modum instaurant: Visum acuunt, cos & nubeculas ab oculis abster- nt. Substratis arboribus floreis ex a- dine, arbore concussa, caryophyllos ligenæ colligunt.

ZINZIBER.

Delectus. RECENS esto, non cariosum, odo optimi, saporis acuti, qui ling maximè vellicet, & quod in partes ctum puluerulentum non sit.

Vsus. Flatus discutit, calefacit, segniùs t men pipere: commendatur eius vs frigido ventriculo præditis, ignau sponsos excitat, pituitam absumit, v sum acuit.

Damna. Calidis regionibus, & cœlo æstua ti minus eius vsus conuenit, vti neq bilioso temperamento præditis, vb rior etenim eius vsus inflammat.

Correctio. Recens melle conditum conduci senibus, quorum viscera vtiliter cal facit, vel si moderatè sicco vtantur, ii dem conuenit.

Gradus. Recens tertio gradu calefacit, hu mectat primo, siccum porro exsicca secundo.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Senibus, aëris constitutione calida pituitosis, nimio humore oppletis, & flatibus infestatis conuenit.

HISTORIA NATVRALIS.

Inziber recẽs plurima humiditate ...pollet, quod ex carte qua facilè tẽ...r, licet colligere: quo fit vt segnius ...e piper calefaciat, cui tamen cate...viribus prorsus respondet. Recens ...ndia conditum lac & genituram ...et & congressum Venereum adiu...vtile est infirmo ventriculo, obstru...nibus medetur, capiti conducit, cibi ...mum est vehiculum. Ex Calecuto ...ilissimo Indiæ emporio ad nos defer..., recens saccharo vel melle conditũ, ... prædictis vsibus asseruatur.

NVX MYRISTICA.

Delectus. REcens deligatur, non cariosa, ponderosa, succi plena, oleaginosa, quæ notæ sint recentis, colore iam ad rubrum vergente.

Vsus. Fœtentem animam corrigit, lentigines abstergit, visum corroborat, ventriculum hepar, lienem: vrinam ciet, vtero familiaris est,

Damna. Mariscas patientibus & aluo duriori præditis noxiæ sunt, quòd aluum astringunt.

Correctio. Rarior itaque eorum vsus sit & moderatus cum zinziberis momento, cuius leui humectatione eius qualitas emendatur.

Gradus. Calida est & sicca in fine secundi gradus.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Hyemi conuenit, decrepitis, pituitosis, & obest autem atrabiliariis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

NVx myristica nobilium ferculis cō-diendis haud rarò adhibetur, tā-doris, quàm laudati saporis gratiā. pelitum commendat, visum acuit, cta corroborat viscera, orificium primis ventriculi, vrinam ciet, ve-um sistit, anorexiam tollit, concoctio-e promouet, flatus discutit, debili triculo mirum in modum subuenit, & frigido hepati, cùm haud segni munus suum in calefaciendo obeat, gmaticis cumprimis & melancholi-pprimè vtilis, at inimica est biliosæ stitutionis hominibus.

CROCVS.

Delectus. Recens ſit, coloratus, cuius cap lamenta in extremitate aliqu candidi obtineant, longus, tenax, n friabilis, plenus, qui humectatus m nus inficiat, odoris fragrantiſſimi.

Vſus. Omnia viſcera conſeruat, optim colorem faciei conciliat, cor mirè r ficit, Venerem ſtimulat, vrinam ci partum hauſtus accelerat, ebriet tem arcet.

Damna. Caput opplet, & dolore tent ſomnolentum reddit, ſenſus offuſca nauſeam gignit, orexin aufert.

Correctio. Moderatus itaque eius vſus ſit, cœlo frigido, ita etenim cor maxi recreabit.

Gradus. Calidus eſt gradu ſecundo, ſicc primo.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Hyeme ac modica quantitate ſe bus, pituitoſis & melancholicis ei vſus conuenit.

HISTO

HISTORIA NATVRALIS.

CRocus, quem nemo non nouit, obstructiones expedit, cordi vires fficit, quo fit vt cardiacis omnibus me-camentis indatur, somnum prouocat, thmaticos iuuat, & thoracis affectibus detur, visui tamen nocet & his qui bili sunt cerebro quibus iccirco eius v- interdicitur, nisi exigua admodum antitate, idque hyeme, & obsoniis hu-dis addito vtantur. Maturandi vim ctus est, emolliendi & modicè ape-ndi. Si cum humano lacte subactus hibeatur, oculorum destillationes ac phoras sistit. Astringendi vim habet, oque aluum iusto duriorem reddit. ore caput ferit, & mentem turbat.

SACCHARVM.

Delectus. CAndidum, graue, ſolidum, minimè friabile, ſed durum deligatur.

Vſus. Corpus purum ac nitidum conſeruat, renibus eſt vtile, plus melle nutrit, thoracem ab eluuie emundat.

Damna. Sitim prouocat, & illico in bilem faceſſit, ideoque calidiori temperamento præditis eius vſus noxius eſt.

Correctio. Edatur itaque cum granatis, aut malis arantiis dictis, qui ſapore ſint acidulo.

Gradus. Calidum eſt & humidum primo gradu, aut, vt nonnullis placet, temperatam qualitatum vim nactum eſt.

Tempus, Ætas. Temperamentum. Frigido cœlo à ſenibus, catarrhoſis & frigido temperamento præditis in vſum adhibeatur.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

SAccharum mellis arundinei nomine, quòd ex arundine excoquatur, à plerisque insignitur. Vt laudabile euadat, optima coctione opus est, requiritur etiam in eo soliditas & summus calor: tale est quod vulgus medicorũ Tabarzet nuncupat. Quanquam temperie calidum sit, minus tamen melle caloris adeptum est, neque tanta abstergendi facultate præditum, ideoque ventriculo, pulmoni & pectori melle gratius est. Nullum cibi genus condimentum hoc respuit præter intestina, quæ si eo condiantur, haud secus quàm boum recentia excrementa fœtent. Gulam emollit, pectusque, quod idem præstat saccharum candum nuncupatum, quod præstantissimum est contra raucedinem & ravim medicamentum.

MEL.

Delectus. PVrum, clarum, maximè ſplendens, quod album colore æmuletur, granis inſigne & denſum deligatur.

Vſus. Ventriculum calefacit, ſenibus iccircò maximè vtile, aluum ciet, putredini reſiſtit, laudatumque ſanguinem gignit.

Damna Calido temperamento prædítis cũprimis noxium eſt, quòd ſanguinem inflammet, bilemque ſua acrimonia augeat.

Correctios Eſtur itaque ad noxam hanc euitandam cum fructibus aliiſue cibis acidis aut ſaccharo roſato.

Gradus. Calidum eſt & ſiccum ſecundo gradu.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Frigido cœlo competit, ſenibus, catarrhoſis & frigido temperamento præditis.

HISTO-

HISTORIA NATVRAL.

SEnibus mel rectè conuenit, inimicum cùm sit iuuenibus, biliosis & febricitantibus, crudum præsertim: gustu acredinem quandam præ se fert, & linguam vellicat, aluum ciet, vomitum prouocat, flatus in intestinis gignit: coctum porrò naturâ frigido temperamento præditis cõuenit, aut qui ætate vel morbo talem sibi crasin compararunt: calidioribus officit, quòd in bilem facilè facescat. Vrinam ciet, abstergit pectus & pulmonem ab iis, qui à capite ad eas partes deferuntur, humoribus. Optimè nutrit si rectè conficiatur, obstructionibus tamen est obnoxium, si affatim assumatur. Coquitur eousque, dum prorsus despumetur.

SAPA, SEV DEFRVTVM.

Delectus. MVstum ex dulcissima vua expressum, atque ad medias decoctum deligatur, quousque clarum ac pellucens euadat.

Vsus. Pectoris angustiæ vtile est, pulmonumque affectibus, renum item vlceribus & vesicæ, venenisque resistit.

Damna. Obstructionibus infame est, flatus gignit, crassum nutrimentum generat, tardè conficitur, neque ventriculo amicum est.

Correctio. Condimenti itaque vicem, non alimenti, obeat, addito semper pipere, aut alio id genus aromatico aliquo, hyeme præsertim.

Gradus. Calida est gradu secundo, humida temperatè.

Tempus Ætas, Tēperamētū. Si condimenti loco vsurpetur, omni confert ætati, temperamento, anni constitutioni, hyemi præsertim.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

MVstum coctum, sapa vulgo dictum, si è nigro vino fiat, nutrit impensè, crassum tamen gignit humorem, pectoris nihilominus destillationes expedit: At si ex albo fiat, tenuiorem multò induit substantiam, pectusque magis expedit, atque aluum magis lubricam reddit. Crassæ est substantiæ sapa. Si cataplasmatis cum simila & sale indatur, dolores vehementer mitigat, hepar natum est obstruere, uti & lienē, tam dulcedinis quàm craßitiei nomine. Iis itaque fugiendum est, qui obstructionum vitiis natura dediti sunt, aut parcè admodum adhibendum.

ACETVM.

Delectus. OPtimum ex generosissimo fit & horno vino, multóque fit præstantius, si rosæ ei indantur.

Vsus. Bilem præ cæteris rectè contemperat, sitimque sedat, gingiuas fluidas astringit & cohibet, appetentiam excitat, pituitamque incîdit.

Damna. Neruis inimicum est vterinisque affectibus, vitandum item emaciatis, vellicat ventriculum & intestina.

Correctio. A qua itaque multa diluendum est aut cum vua passa assumendum.

Gradus. Frigidum est primo gradu, siccum secundo, tametsi è contrariis constet facultatibus.

Tempus. Ætas, Tēperamentum. Iuuenibus, calida aëris temperie, & biliosis conuenit, nocet senibus, & neruorum affectibus laborantibus.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Iccum vno ore omnes philosophi acetū esse pronunciant in cæteris qualitatibus maximè discrepant, frigidam aliis lli qualitatem attribuentibus quòd ar-orem compescat, aliis calidum ex hoc nte contendentibus quòd in lapidem fusum ebulliat, lapidemque comminu-t: quos hoc pacto vtrinque cōciliari pos-existimarim, si calidum potentia, frigi-um autem in prædominante actu a-ruamus, tantoque esse frigidius, quan-debilius & minus generosum. Me-ncholicis obest, frigidoque ventriculo, axime muliebri sexui, ob affectus vte-nos. Si calidum potetur, venenis resi-it, affatim tamen bibitum, hydropem enerat.

OMPHACIVM.

Delectus. ANte ortum caniculę ex immatura vua expressum, in vsum veniat, ex præscripto Dioscoridis, aut vulgi fiat more, modo limpidum fit.

Vsus. Æstiuis mensibus bilis retundit ferociam, appetentiamque conciliat: ii vtile, qui calida sunt temperie & stomacho robusto.

Damna. Pectus validè astringit, tussimque prouocat, neruis inimicum est, & co licos affectus prouehit.

Correct.o Vnà itaque cum carnibus, aut aliis calidioribus cibis pinguibus dulcibusque edendum.

Gradus. Frigidum est primo gradu, siccum secundo.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Æstate & cœlo calido, iuuenibus, & bilioso temperamento præditis conuenit, at inimicum est senibus.

HISTORIA NATVRALIS.

QVam Itali Agrestam, Omphacium Latini nominant. inflammatis & ...bustis magis quàm acetum conue-...,cholericis imprimis & sanguineis ...le. Plerique eius succum ex minori-...r limonibus aut arantiis acidis ex-...mmunt, indeque Omphacium conficiũt, ...quod reliquis omphacii specieb. gra-...s multò euadit. Quod laudem mere-...ur, citrino ad rubrum colorem ver-...te præditum sit oportet. Efficacem, ...vsus postulat, refrigerandi vim ob-...t. Calidi cibi ex præscripto Auicen-...in quorum censu columbæ sunt, mul-...dantur omphacio, vti & cæteri: At ...ibus cum aromatibus adiungen-...n est.

INTINCTVS.

Delectus. ILle probatur, qui ex odoratis fit herbis, vtpote ſerpillo, mentha, baſilicone, aceto roſaceo, duabus caryophyllis, pane toſto, momentoque allij, ſi quis eius etiam vſu delectetur.

Vſus. Appetentiam conſopitam excitat, ciboſque palato commendat, concoctionem iccircò adiuuat, pituitamque ventriculo inhærentem incîdit.

Damna. Febricitantibus tamen eſt noxius, & his qui calidiori ventriculo præditi ſunt, ſi affatim præſertim aſſumatur.

Correctio. Si omphacij conueniens ei qualitas adiungatur, aut arantiorum acidorum ſuccus, adhæc ſi optimi cibi ſuperedantur, minus noxius eſt.

Gradus. Temperie pro herbarum, ex quibus fit, naturâ magis minúſue eſt calidus.

Tempus, Ætas, Tēperamētū. Inuentus eſt eius vſus ad gulam irritandam, calidiori præſertim cœli cōſtitutione, omni ætati, temperamento, iuuenibus maximè vtilis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Ntinctus viride condimentum est, magno mensis in vsuccum carnibus ditur, vt gustui gratiores euadant, stiuis præsertim mensibus, cùm nimio lore appetitus prostratus languet. Cō- iendi eius non vna eademque est ra- o, sed varia & diuersæ. Quamquam irgilius hoc versu

Allia serpillumque herbas contun-
    dit olentes,

um moretum cæteris anteferre vi- eatur Huiusce loco sūt, qui Mostarda, uasi mustum ardens vulgo dicta, vtū- ur; quod tamē intinctus genus frigido elo potius vsurpandum videtur. Sunt ui alliatam, succum vuæ, acidulorum erasorum, piperatam, & id genus alia mbammata, pro vario hominum pala- o & temporum anni ratione in vsum dhibeant.

LAC.

Vsus. CErebrum auget, corpus impinguat, hecticis est vtile, vrinæ ardorem compescit, affatim nutrit, colorem corpori vegetum & floridum conciliat, Venerem auget.

Damna. Febricitātibus eius vsus est noxius, vti & caput dolentibus: vitandum etiam his qui oculorum affectibus infestantur, item catharrosis, nephriticis, obstructione laborantibus, dentibus etiam & gingiuis inimicum existit.

Correctio. Hæc cupienti euitare, tantillum ante sumptionem iniiciat salis, vel sacchari, vel mellis, ne cogatur in ventriculo, & lac ieiunus potet.

Gradus. Humidum est secundo gradu, temperato interim calore præditum.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Calidæ aëris constitutioni, iuuenibus biliosis, firmo ventri culo præditis conuenit, vitandum senibus & catharrosis.

HISTORIA NATVRALIS.

*Ac è triplici constat substantia, sero-
sa, quæ frigida & humida, nitrosa,
aluũ soluẽdi vi prædita, existit: secũ-
pingui, è qua butyrũ fit, quæ tẽpera-
nacta est qualitatẽ, ac vnctuosã: ter-
, crassa, quæ in caseum cogitur, eaque
stãtia crassa, viscosa & pituitosa est.
umanũ omni lactis generi longè laté-
e antefertur, inde vaccinũ, hinc ouil-
dein caprillũ, demũ bubalinũ: quorũ
idẽ vnumquodq pro pascuorũ natura
præstãtia, in suo genere præstantissi-
cẽsetur, ad hæc nõ minima anni par-
habenda est ratio, ætatisque anima-
. Lac multo sero redũdans perfectis-
ũ habetur: at quod plurima caseosa
stãtia cõsistit, ceu prauum ab vsu e-
inãdũ est, quòd lithiasi generãdo ob-
ciũ sit. Cõtinuus lactis vsus dẽtib. &
giuis nocet, quã noxã vt deuites, cõ-
tim à lactis potu melicrato os abluen-
est, id etenim dẽtes firmat & stabi-
. Aluũ lac ciet, tussim sedat, pect⁹ di-
tat. optimũ è morbo conualescẽtib. re-
diũ. Tantum assumendũ est, quantũ
odè digeri possit, neque aliud quid*

dein ciborũ superingerẽdũ, cessandũ ab omni motu corporis, non dormiẽdũ, neq. vinũ superbibẽdũ, antequã optimè à ventriculo confectum esse constet.

BVTYRVM.

Delectus. SIt quàm recentissimum ac dulcissimum, ac inter cætera laudatissimum ouillum.

Vsus. Mundat vehementer, pectorisque, thoracis, ac pulmonum impactam eluuiem potenter educit, præsertim si ex frigida causa originem trahat, tussimque compescit.

Damna. At ventriculum relaxat & debilitat crebrior eius vsus, nauseamque inuehit.

Correctio. Cibi itaque butyro corroborantes astringentesque & quos stipticos vocant superedendi sunt, aut saccharum rosatum vetus.

Gradus. Calidum est & humidum principio primi gradus.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Omni tempori etiam recens conuenit, senibus quã iuuenibus vtilius, quod destillationibus emũdandis permagno vsui sit.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

OLei recentis cum butyro recenti iidē sunt effectus: pectus deobstruit, ulmones mundat crassosque catarrhos, iā scilicet ad eorum exclusionem præ-irando attenuat, si præsertim cum ccharo aut melle assumatur. Vsus bu-iri cum sale condiendi nulli non notus , hac etenim vnica ratione asserua-r, maioremque sibi calorem adsciscit, que tamen ea propter aperiendi pe-usque expediendi, qua præditum est, cultatem deponit, tantoque calidius adit quanto vetustius.

CAPVT SEV FLOS LACTIS.

Delectus. SIt recens, lento igne coctum, quan do ex lacte eximitur.

Vsus. Pectoris affectibus haud secu atque butyrum conuenit, palato arri det, stomachique asperitati ac siccita ti medetur:

Damna. Tardè concoquitur cæterisque cibi supernatat, crassi est alimenti, facilé que in vapores facessit.

Correctio. Parcus itaque eius vsus sit, copios sacchari mellisque quantitate addita

Gradus. Calidum est & humidum primo gradu.

Tempus, Ætas, Tēperamentum. Iuuenibus & biliosis potius quàm senibus & catarrhosis conuenit, ven triculum enim robustum requirit.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Los lactis à butyro parum admodū differt, cum itaque vtrumque floris is & defecatissimæ substantiæ se in rem habeat, butyrum quidem, sine is adminiculo, vasculis quibusdam è e excipitur, at colostrū, non nisi, vbi ter lac ebullierit: quod si etenim ni- bulliēdo lac efferuescat colostrū nul et: aut si quod exciperetur, prauum l, & nulli fieret vsui, quo fit vt co- um diutius asseruari nequeat, sed acescat, id quod butyro minimè v- nit. Colostrum satietatem subitò in- ; quinimo & nauseam, si quis copio- vtatur. Parcus itaque eius vsus que sumpta refectione cum saccha- ptimum in Neapolitano regno con- r, vbi super caulium foliis cogitur. ras indigenæ nuncupant, & si ali- orum vspiam, ibi certè sapore ma- est laudabili.

LAC PRESSVM.

Delectus. LAc pressum è lacte, à butyro necdum segregato fiat, sit recens, eiusque animantis quod lætissimis sit vsum pascuis.

Damna. His subuenit, qui siti ardoreque stomachi tentantur, & qui robusto sunt ventriculo.

Correctio. Pectus constringit atque asthma accersit, & quia caput exhalationibus sustentat, syncopen non rarò atque suffocationes inducit.

Gradus. Hæc mala euitabuntur, si aut rarus, aut nullus eius vsus sit. Ast si res ita postulet, vt eo vesci libeat, prima mensa & saccharo multo condîtum, edatur.

Tempus, Temperatè frigidum est & humidum.

Ætas, tēperamentum. Calidæ aëris constitutioni conuenit, idque iuuenibus biliosis, at senibus & catarrhosis minimè.

HTISORIA NATVRALIS.

Lac pressum, quod la giuncata Itali nominant, omnium coagulorum instar se habet, ac citò putrescit, cæterisque cibis si superedatur, indigestos ac crudos eos per aluum protrudit. Tardè & difficulter conficitur, ac ventriculum robustum requirit. Crassum nutrimentum gignit, ac calculo generando est idoneũ. Lienteriam non paucis inducit, aut intestinorum læuitatem. Nullum lacticinii genus eo est perniciosius. Iuncatam Itali à iunceis vasculis in quibus & asseruatur, & aliò defertur, nuncupant.

LAC COAGVLATVM, RECOCTA VVLGO.

Delectus.

DEligantur quæ ex selectissimo lacte conficiuntur, adeoque recentia, vt pænè calida adhuc in vsum mẽsis adhibeantur: illa etenim quàm citissimè à ventriculo conficiuntur.

Vsus.

Vtile alimentum iis censenda sunt recocta qui calido sunt temperamento, & qui à biliosorum humorum destillationibus infestantur, sitim restingunt & bilem refrenant.

Damna.

At frigidiori noxam pariunt ventriculo, neruis inimica sunt, soporem inducunt, & tardè digeruntur.

Frigida sunt & sicca primo gradu.

Gradus.

Tempus Ætas, Tẽperamẽtũ.

Iuuenibus itaque recocta conueniunt, biliosis, & qui se plurimum exercent, quacunque etiam anni constitutione.

HISTORIA NATVRALIS.

QVæ ex lacte coagulato recocta fiūt, minùs caseo recenti nocent ventriculo: quæ si sanum nacta sint corpus, ei plus prosunt quàm obsunt. at si in frigidiorem æquo ventriculum illabantur, nunquam conficiuntur, quod substantiam adepta sint frigidam & densam. Quo sanè loco obiter notandus venit Platina, qui calidum recoctis temperamentum attribuit. Salita peiora sunt recentibus: exiguumenim prauumque sufficiunt corpori alimentum, sitim gignunt, aluum astringunt, flatusque generant. Calculo autem renum generādo idonea sunt, obstruuntque vreteres, difficulter concoquuntur. Colostra itaque recoctis anteferenda sunt, quod ex puriori lactis constent substantia, quòd promptius à ventriculo conficiantur, quod crassi nihil obinneant sed illico aluum permeent: refrigerent, & sitim sedent.

CASEVS.

Delectus. RECENS deligendus eſt, è lacte tẽperato confectus, ab eoque animante emulctum, quod ſelectiſſimis ſit vſum paſcuis.

Vſus. Emollit, impinguat, palato gratus eſt, neque obeſt ventriculo, & qui talis eſt qualem deſcripſimus, is præſtãtia vincit reliqua caſei genera, promptiuſque digeritur, dummodo non nimium denſus ac coactus ſit.

Damna. Crebrior eius vſus obſtructiones gignit, ſi in debiliorem illabatur ventriculum.

Correctio. Cui malo obuiam facilè itur, ſi cum nucibus, amygdalis, pyris & pomis eſitetur: deuitandus tamen eſt eius ſuperfluus vſus.

Gradus. Frigidus eſt & humidus ſecundo gradu.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Iuuenibus & plurimo exercitio deditis, potius quàm ſenibus ac otioſis conuenit, quòd contumacius digeratur, & robuſtum requirat ventriculũ.

Recens caseus plus salito & nutrit & humectat. Tametsi verò omnis in vniuersum praui sit succi: cum recens tamen est, quod à calido ventriculo facilè digeratur, noxæ minus reliquis adfert: sanè eodem quo conficitur die, mãdendus est, vetus enim prauam sibi naturam adsciscit. Ideoque vetus audit pessimè, quod malè conficiatur, sitim inducat, sanguinem inflammet, calculum procreet, iecur obstruat, tardè ventrem permeet, bilem gignat, aluum astringat, quam astringendi vim à coagulo adipiscitur: Plus inflammando damni adfert caseus, quàm commodi attenuando: qui media est ætate, ventriculo maximè cõuenit, eũque si debita quãtitate assumatur parũ afficit. Ouillus præstãtia anteit cæteris, haud secus atque caprillus malitia vincit reliquos. Axiomatis hoc loco sit: Tantùm esse edendũ casei, vt vẽtriculi orificium sigilli instar occludat, istiusque decet esse memorem prouerbii:

Caseus est sanus, quem dat auara manus.

Cur potus necessarius sit?

POtus quiddã actu humidum est, quod se cibis in vẽtre permisceat, eosque ad singulas corporis partes deuehat. Duabus autem potissimum de causis requiritur: quarum altera est, vt corpus intrinsecus humectet, humidumque istud quod dissipatur tractuque temporis dissoluitur, restauret: Altera, vt ad singula membra, ceu vehiculum quoddam cibos deferat, tantamque iis penetrandi vim, quanta ex vsu sit, tribuat. Cibi autem potusque ista permistio concoctionis gratia administratur, at hæc nutritionis, vti nutritio sanitatis conseruandæ. id quod elementorum quæ diuersa natura constant, inter se permistio liquidò demonstrat. Cumque haud aliud sit concoctio, quàm natiui caloris quędam perfectio, eaque in vno eodemque subiecto, quod cõtrariis constet passionibus, teste Aristotele 4. meteororum: manifestum est tantò fore nutritionem absolutiorem, quanta fuerit concoctio perfectior: quod

quod sit legitima cibi potusque in seipsa permixtione, in qua quidem actione primarum, quas vocant, qualitatum passiones debita temperie cōcurrant permisceanturque necesse est. Operæpretiū verò est, vt id quod concoquitur, hordei cremori simile euadat, aut tenue sit, ac penetrandi facultatem habeat. Nūc cùm isti quibus vescimur solidi sint cibi, necesse erat eos liquido quopiam diluere, quo penetrarent ac tenues euaderēt: at istud potus est, quem Plato in Hipparcho humidum corporis nutrimētum appellat, ac 2. de legib. idem asserit, senum corpora haud secus vino, quàm ferrum igne emolliri, vinique beneficio duritiei ac siccitati decrepitæ ætatis resistere.

Quæ in bibendo leges obseruandæ sint.

Neque vinum, nec aqua ieiuno cōpetunt ventriculo, præsertim à balneo, congressu Venereo, aut aliquo simili violento exercitio, ex quo crebra orta sit respiratio, aut à copiosiore sudore, nisi cibo, præsumpto. qui

ſecus faxit, noxam capiti, cerebro neruiſque infert, mẽtiſque alienationem, ſi præſertim vehementer fameat, inducit.

Tribus à cibo ſumpto horis, ab omni potu abſtinento, aut vini tantillum aquæue pro more aſſumunto. Repleto etenim ventriculo, potus impedit quò minus eius ſubſtantiam cibus attingat, quin etiam hoc pacto vinum aſſumptum debitam cibi permutationem vetat.

At vbi è ventriculo deſcenderit, iis qui magna ſiti vrgentur, liberalior vini atque áquæ, vtro conſueuere, vſus permiſſus eſt.

A cibo pota aqua frigiditate ſua conctionem impedit, at vinum penetrandi inſigni vi præditum, crudum cibum per membra diſtribuit.

Quem noctu vrget ſitis, os abluat, aut tantillum duntaxat bibat, idque ex anguſti oris gutto, ſomnumue tolerãter ſine omni potu ex Hippocratis præcepto capeſſat, niſi nimium ſalita comederit.

Neque allio, neque cæpis, aut id genus aliis acrioribus cibis ſuperbibendum

bendum eſt, ni ignem igni addere, prauique id genus ſucci cibos crudos incoctoſque per venas digerere libeat. Verùm antequam bibatur, meliores cibi ingerantur, indeque ad potum procedatur.

Quibus vino interdictum ſit, quibuſue eiuſdem vſus permiſſus?

Pueri à vino abſtinento. perinde enim eſt ſi pueris vinum des, atque ſi ignem addas igni, aut lignis ac ſarmẽtis quæ ignem promptè concipiunt. mentem quippe pueris merũ turbat.

Sapienter itaque Plato ante 18. annum à vino abſtinere iubet belli duces, iudices, Reipubl. adminiſtratores, aut ſi qui ſimilem functionem publicam obibunt, his toto adminiſtrationis tempore vini vſu interdicit. Ac pueros quidem ſuapte natura à vino abhorrere monet in problematis, quòd cum multo humido abundent, eo non egeant.

In Timæo Plato coniugibus liberis daturis operam, vini vſum adimit.

Iuuenes ii, qui ad ἀκμὴν necdum per-

uenere, sed quorum adhuc corpora incrementum sumunt, vinum diffugiunto. Cum enim natiuo sint calore exuperanti, facilè & animo & corpore inflammantur, & in furorem aguntur.

Iis porrò qui in constanti versantur ætate, atque ad παρακμὴν tendunt, prætergressi annum ætatis 40. eius vsus indulgetur. Senum naturæ cumprimis conuenit, quòd calore suo eius ætatis frigiditate commoderata iustam ac legitimam temperiem ipsorum corporibus inducat. Validioribus tamen vinis abstineant, quòd capiti ac neruis officiant: diuretica sint duntaxat, & quę facilè penetrent, vrinamque promptè cieant. Habeant has sibi Græci leges, nobis hac in re tam acurata cautione opus non est. ipsorum enim vina quòd validissima & efficacissima sint, locorum item tractus calidissimus, facilè noxã conciliarint, à nostris id metuendum minimè, qui dilutioribus vtimur: Neque iccirco in has facilè leges iurauerimus, quòd Oenotria Italia à vini fertilitate & vsu veteribus dicta sit.

Fœminis olim vino interdictũ fuit, quod eius vſus in hoc ſexu, virtutis ianua obſerata, vitiis fomentum ac viam aperiret.

Vnde iſtud apud Valerium Max. commemoratu dignum eſt, quòd cõiugem Metellus fuſte delumbatam ac multatam, quòd vinum bibiſſet, interemerit: ac iſtud quidem eius factũ non accuſatore tantum, ſed & reprehenſore caruerit.

Quid conferat moderatus vini vſus?

Ingenii vires intenduntur moderato vini vſu, manſueſcit & cicuratur animus, mens expanditur, corroborantur ſpiritus, exhilaranturque, mœror ac triſtitia pelluntur. Hinc Zeno ſe vino haud ſecus ad hilariorem vitam parari aſſerebat, quàm ſolent lupini affuſione aquæ dulceſcere, & in Problematibus teſtatum reliquit Ariſtoteles, ſpem & audaciam hominibus vinum ſufficere: naturæ vitia contrariis virtutibus permutat, adeò vt ex impio pium efficiat, ex auaro liberalem, ex ſuperbo humilem, ſocordem

ac pigrum excitat, audaciam timido conciliat, taciturnitatem mentisque soporem facundia quadam demulcet, & vegetum quoddam animo acumen ac robur instillat. Persas ac Helenios scribit Rufus vino vti solitos, cum disputare vel differere, aut de re quapiam graui consultare decreuissent, & tunc maximè, cum vel carmen conscribere aut cuiuscunque generis musico organo canere animum induxissent. aiebant etenim, vinum humanæ mentis potentiam ad actũ deducere. Summum fuit tẽperantiæ exemplar Augustus, qui omnibus propemodum satiatis conuiuis mensæ postremus asſidere solitus est, primus autem omnium accubantium surgere. Iulii autem Cæsaris in potu commendatur summa continentia à Marco Catone his verbis: Vnus ex omnibus Cæsar ad euertendam Rempublicam sobrius accessit. Celebratur ab affectu his Bacchus epithetis, mitis, dulcis, donatoris gaudii, nobilis, generosi, candidi, teneri, benigni, nitidi & blandi. Vinum porro lene dicitur, suaue, limpidum, liberũ, molle, bellum, moscho infectum, pre-

ciosum, fragrans, bonum.

At corpori nostro vinum ista confert. Nutritioni inseruit, concoctionē ciborum promouet, copiosumque sanguinem procreat, concoctos porrò humores per totum corpus distribuit, velociter nutrit, cor recreat, flatus discutit, vrinam ciet, natiuum calorem auget, ex morbo conualescentes impinguat, orexin seu appetentiam excitat, sudores mouet, somnum conciliat, sanguinem fæculentum ac turbidum mundat, obstructiones aufert, alimenta singulis corporis partibus, ceu vehiculum defert, crassos ac viscidos humores attenuat, cutis fœdum colorem emendat, cunctaque corporis detrimenta ad exitum promouet. Modus autem in vino adhibendus is est, vt tantum duntaxat assumatur, quantū reficiendo ventriculo sufficit, ne cibi illi innatent, flatusque gignant aut rugitum.

Qualitate ea vult præditum esse vinum Galenus, vt sit ætate medium, nec recens nimium, nec vetustate exsuperanti, substantia purum ac transparens, album aut subrubrum, odore

fragrans, gustu neque aquam præ se ferens, neque austerum, nec amarum, nec extremè dulce, ac tale quidem, quanquam omnibus, senibus tamen maximè conuenit.

Vini immoderatè sumpti incommoda.

Quòd vnum natiuus in homine calor non edomuerit, non modò non calefacit, verum etiam corpus refrigerat, frigidosque gignit affectus. Suffocato etenim natiuo calore, cerebro neruosisque partibus maxima accersit incommoda, vnde miserandæ illæ morborum cateruæ, apoplexia, paralysis, lethargus, comitialis morbus, spasmus, tremor, originem trahunt. Animo porrò his malis officit, quòd homines loquaces reddat, iniuriosos, stupidos, homicidas, luxuriosos, mentem corrumpit. dissoluit animum, animalesque simul cum naturalibus facultatibus eneruat, infinita demum, vt vno verbo complectar, humano corpori ebrietas mala conciliat. Hac laborauit infamia Magnus ille Alexander, quam tametsi infamis ac stupen

dæ helluationis nomine non rarò Androcides his verbis, Memineris te, ô Rex, quoties vinum bibis, ſanguinē terræ potare, notaret: ſurdo tamen vſque adeò narrauit fabulam, vt vino etiam ſæpius diſtentus biduum dormierit integrum, ac fabula demum populo fieret. Claudium Tiberium Neronem annales referunt Caldium Biberium Meronem ob helluationem nuncupatum. Eadem res Baccho hæc aſſignauit epitheta, impudentis, armigeri, fulminei, inſani, audacis, martij, belligeri, effœminati, ſemihominis bis nati. Vino etiam hæc tribuunt adiectiua, obliuioſum, æſtuans, feruidum, fumans, ſpumoſum, ebrium, inſanum, iocoſum, ignigerum. Nam prætérquā quòd rationis lumen extinguat, ſubitæ etiam mortis occaſionem præbet. Apud nonnullos ſanè in bilem in vētriculo conuertitur, aliis in acetum faceſsit, vtraque ſanè noxam non minimam homini adferunt. Vnde ebriū naui in mediis vndis ſine gubernatore conſtitutæ conferre licet. Quod ſi occaſio ita poſtulet, vt fors liberaliori ſolito indulgēdum ſit potui, hæc cau-

tio adhibenda eſt, ne cibis venter farciatur, ne vini immoderatioris vi cruditate cibi in venas rapiantur, eorumdemque obſtructione vini tranſitu præcluſo, ac diutius in ventriculo aſſeruato, vapores ac fumi ad cerebrum eleuati aliquod eorum malorum quæ antea recenſuimus, procreet. Ciborum verò diureticorum hic euitandus vſus eſt, vti & dulcium, ſed amara potius vſurpanda, in quo cenſu ſunt amygdalæ. Caules rectè inter potandum adhibentur, noxam enim vini abolent, ac poſt menſam cotonea, cytoneorum pulpa, myrthi baccæ, atque id genus aſtringentium vſus commendatur. Tractabimus autem (cùm infinitum ſit vini omnia genera proſequi) de ſex potiſsimùm inſequentibus.

VINVM



VINVM VETVS.

Delectus. VInum vetus fragrantiſſimum ſit, generoſum, ſpiritibus abundans, non acidum, non amarum, aſt gratum omnibus ſenſibus.

Vſus. Expulſiuam virtutem promouet, prauos humores reſoluit, ac flatus diſcutit, vtile iis quibus venæ aliáque vaſa infarcta ſunt crudis humoribus.

Damna Nimius eius vſus noxius eſt neruis, & Veneri inimicus, quòd genituram exſiccet, mentem perturbet, cerebri membranis, quas meninges nuncupant, noceat, vigiliásque inducat.

Correctio. In vſus medicos quod tale eſt veniat, non in potum: modicè adhibeatur, rariùs, & multa dilutum aqua.

Gradus. Calidum eſt & ſiccum gradu tertio, vbi quartum annum ſuperauerit, eóque plus acquirit caloris, quo ſit vetuſtius.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Cœlo frigido, ſenibus & pituitoſis conuenit eius immoderatus vſus: Iuuenibus vti & bilioſa temperie præditis, nocet.

HISTO

HISTORIA NATVRALIS.

VEtera parum vina nutriunt, quo fit, vt medicis vsibus deputata magis sint, quàm mensis. quod calida admodum sint & sicca. Generosum vinum, vbi quartum compleuerit annum, calidum fit & siccum gradu tertio: atque hi temperiei gradus pro ratione ætatis in eo intenduntur, vnáque paulatim cum calore vinum amariusculum euadit: caput id ferit, neruos impetit, si largiùs sumatur, iis præsertim, qui exquisito sensu præditi sunt. non paucis huiuscemodi vini vsus necis causa extitit, id quod Galeni etiam testimonio constat, 2. de locis affectis: vbi Grammaticum quendam commemorat quotidie in balneum ire solitum, cuius puer domi relictus aquæ penuria hornum potens vinum ingurgitarat, vnde insomnis factus, febréque correptus, & haud multo post delirio extinctus fuerit.

VINVM RECENS.

Delectus. ID deligatur, cuius craſſiores partes in fundo ſubſederint, quodque optimè defæcatum ſit, arte ſaltem, ſi natura non licet.

Uſus. Vrinæ ciendę, ſpirituumque inſtaurandorum vim obtinet ex ſententia Auicennę, Venerem auget, cùm genitalis ſeminis copiam procreet.

Damna. Impurũ ac fæcibus permixtũ, fæculentũ gignit ſanguinẽ, eundẽque obſcurũ & fumosũ, hepaticã dyſenteriã, fluxum vulgò hepaticum, gignit, ventriculo ac inteſtinis eſt noxium.

Correctio. Obuiã huic malo itur, ſi ab eius vſu, antequã ſponte defæcatũ, vel per coryli ramos percolatũ ſit, abſtineatur. eas enim vires corylus obtinet, vt 24. horarum ſpatio limpidiſſimũ reddat.

Gradus. Primo anno calidum eſt receſſu primo, humidum autem moderatè: calorem ſecundo anno intenſiorem acquirit, ſicciuſque temperamentum, idque receſſu ſecundo.

Tempus. Ætas, Tẽperamentum. Hyemi, iuuenibus ac bilioſis conuenit, ac robuſto ventriculo præditis: infeſtum autem eſt ſenibus & pituitoſis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

REcens vinum necdum defæcatum prauos gignit humores, somnosque turbulentos ac flatus in ventriculo ac intestinis, cúmque nondum deferbuerit, terrestris plurimum permixtum habet materiei, ac proin vrinæ ciendæ minus tunc temporis est idoneum, quinimo vreteres potius obstruit. Eius itaque vsum qui temperie sunt frigida & humida, deuitent. Galeno teste mustum alium non habet vsum, quàm quod aluum moueat, quasi destituatur facultate, prauum ac corpori impensè noxium redditur, tardè conficitur, tardéque permeat. Mediæ ætatis vinum, pellucidum, odorum, acuto sapore destitutum, præstantissimum est.

VINVM DVLCE.

Delectus. SVbſtantiâ ſit tenuiſſimum, tranſparens ac diaphanum, quanquam id rarum ſit inuentu.

Vſus. Qui ſenſuum iudicio, maximè guſtus, obiecta guſtui iudicant, tali vt plurimum delectantur: affatim nutrit, & pectori eſt vtile.

Damna. At iecur interim & lienem obſtruit, caput implet, ſitim gignit, ac renum calculum, & in bilem nullo negotio faceſſit.

Correctio. Biliofis itaque eius vſu interdicitur, iiſque quorum facilè viſcera obſtruũtur, alióve aliquo affectu laborant, niſi moderatè ac raró illud admittant.

Gradus. Calidum eſt ſecundo gradu ac tẽperatè hum dum.

Tempus, Ætas, Tẽperamentum. Cœlo admodum frigido eo vtendum, ſenibus potius quàm iuuenibus, quòd facilè in bilem conuertatur.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

DVlce omne suapte natura homini maximè conuenit: at si quam nocam inducit, id ex accidenti & aduentitia quadam ratione facit. Vinum etenim non quatenus dulce est, sed crassa substantia, ob quam segnius penetrat, præditum, obstructiones gignit, ideoque nocet hepati ac lieni abscessu aut scirrho laborantibus: pulmones à crassorum & viscosorum humorum infarctu dulce quidem vinum deplet & expedit, at hepar vice versa afficit, sputum verò promouet, præsertim si album sit. Iccirco verò hepar potius quàm pulmones impetit, quòd necdum elaboratum amplos permeet meatus, vt primùm in iecur illabitur, pulmones verò non nisi per varias vias easque strictas percolatum irritat.

VINVM AVSTERVM.

Delectus. QVod modicè aſtringat deligendum eſt, neque auſterum ſit, nec ſtipticum, ſubtile, colore diluto præditum, maturum.

Vſus. Febribus diariis conuenit, hepati inflammato, ventriculo plus iuſto aridiori, modicè refrigerat, ſitim tollit, fluxum ſiſtit, & vomitum.

Damna. Pectus aſtringit, tuſſim prouocat, prauum ſuppeditat alimentum ac ſanguinem liberamque ſudoris exhalationem impedit.

Correctio. In medicos itaque potiſſimum vſus accerſendum, in analeptice & conualeſcentium cura, item temperamento calidiori præditis, qui bile multa abundant, præſcribendum.

Gradus. Inter omnia vinorum genera ita debili calore eſt præditum, vt vix primum attingat gradum : ſiccitate autem ſecundum obtinet.

Tempus. Ætas, Tẽperamentum. Cœlo eius vſus competit maximè æſtuante, iuuenibus, biliofis, deuitandum verò ſenibus & pituitoſis.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

VIna acerba, Pontica Arabibus dicta, immatura, austera, stiptica, cùm parum à se mutuo & sapore & qualitate distent, ferè ab auctoribus confunduntur: quanquam austero amaritudinem quandam ascribant, acerbo autem sorborum sapori æmulum. Quæ acerba sunt propriè dicta, ingenti resistunt æstu: quanquam cum acido nil commune habeant, sitim sedant, moderatè refrigerant, neque tamen condonanda sunt, nisi his qui ventriculo natura admodum sunt calido. Lora quæ ex optimo vino fit, præstantissima est. nam quæ ei inest acris mordacitas dulci permista, aut alij alicui generosi vini sapori, vrinam ciet, cibi concoctionem promouet, fumorum vetat ad caput exhalationem ac ascensum, & deiectam restaurat appetentiam.

VINVM RVBRVM.

Delectus. Consistentiâ sit subtile, quoad e-ius fieri potest splendidum, cla-rum, pyropo gemmæ æmulum.

Usus. Affatim nutrit, optimum gigni sanguinem, syncopen tollit, iucund conciliat insomnia.

Damna. Si crassiusculum fuerit, ventriculum saburrat, hepati ac lieni noxium est propter obstructiones, & tardè digeri-tur,

Correctio. Superedenda itaque ei sunt mala granata, aut arantia acida, aut si quid aliud eiusce generis acido sapore, aut succo condîtum libet.

Gradus. Calidum est in fine primi gradus & principio secundi, reliqua tempera-tum.

Tempus, Ætas, Temperamentum. Frigido cœlo competit, iis qui vel propter ætatem vel temperiei ratio-nem plurimo nutrimento egent, aut astringenti medicamento.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Vina rubra ac consistentiâ crassa, plus aquosis nutriunt, ventriculum tamen propter crassitiem nonnihil aggrauant, caput autem non impetunt, neque ebrietatem accersunt. quòd si quam inducunt crapulam, tardè ea discutitur, venas crasso sanguine inferciunt. Galenus se vidisse asserit, athletis ad augendas vires familiarem huiusce vini usum fuisse, ac huius beneficio eas etiam acquisiisse: porcinis enim carnibus simile alimentum progignit. Iuuenibus iccircò prima dandum mensa est, senibus neque prima, neque postrema, ob defectum enim natiui in senibus caloris, calculos gignit, ac renum obstructiones. Nigra dulcia promptius his nutriunt, sed magis obstruunt. Nigra austera atram gignunt bilem: rubra dulcia, sunt thoracica. Quæ rubra inclarescunt & pellucida fiunt, vrinam vehementer cient, & aurum colore æmulari dicuntur.

VINVM ALBVM.

Delectus. AEtate annum non excedat, quod in vſum accerſendum eſt ob ingentem quo pollet calorem, pellucidum, ſplendens, à maturis vuis expreſſum, in collibus natum.

Vſus. Venenis reſiſtit, à putridis humoribus venas vindicat, ac putredinem arcet, ſenibus vtile, quòd natiuum calorem intendat.

Damna. Libidinem coercet, quia genituram ſuo calore exſiccat & extinguit, conualeſcentibus è morbo noxium, vti & his quibus debiliora membra ſunt, ſi confertim bibatur.

Correctio. Ab hiſce malis vindicatur, ſi moderatus eius vſus adhibeatur, ſi exquiſitè lymphatum ſit, & ſi cytoniorum pulpa quam carnem nuncupant, ei ſuperedatur.

Gradus. Calidum eſt principio ſecundi gradus & ſiccum primo.

Tempus, Ætas, Tēperamētū. Conuenit omni tempori, ætati & temperamento, niſi nimium inueteratum ſit, & ſi debita quantitate adhibeatur.

HISTO-

HISTORIA NATVRALIS.

Citrini coloris vina alba nuncupantur: citrina autem, quod maturo citrio malo similia sint, nominari consueuere. Fragranti odore præditum tale vinum est, & generosum maximè, si in collibus enatum sit: Vnde istud Virgilij: Bacchus amat colles. facilè penetrat, bilem gignit, caput ferit: quam gignit crapulam, hæc facilè dissoluitur, cito permeat, excrementitios humores incidit, frigida corpora excalefacit, qui calido sunt temperamento, huius vsum deuitent. Alia sunt albescentium vinorum genera, tenuia, aquosa, diaphana, aquæ similia, quæ aquæ misturam non admittunt, ὀλιγόφορα Galeno nuncupata, hæc vrinam cient, & sudorem proliciunt, parum admodum nutriunt, caput non impetunt, somnum conciliant, quartanariis & diariis sunt remedio, item iis qui ex febribus conualescunt, sitim sedant, æstate sunt vtilia & concoctionem adiuuant.

AQVÆ NATVRA ET Effectus.

AQua ſimplex corpus eſt, locumque ſuum naturalem circa conuexam terræ ſuperficiem obtinet, ita vt ab aëre ambiatur: frigida eſt & humida, humorum omnium tenuiſſima, ſincera. Elementaris aqua nunquam incaleſcit, vti neque ſincerus aër nunquam refrigeratur. ea nos deſtituimur: at ſimplicis iſtius loco aliam habemus, quæ propter mixtionem paruo negotio putreſcit ac corrumpitur, cùm è conuerſo ſimplicia elementa non putreſcant, ſed aliud in aliud conuerti natum ſit. Nullum corporibus nutrimentum affert aqua. nam cùm ſimplex ſit (corporum ſanè reſpectu) iis aſſimilari nequit, cum nutritio nil aliud ſit, quàm alimenti, mediante calore natiuo, ad corpora noſtra aſſimilatio. Aqua porrò cùm ſit frigida & humida, natiuo calori adæquari nequit, vti neque ſiccitati.

Nutritionem quidem adiuuat, hoc ipſo, quòd cibum temperet fluidioremque

remque faciat ac penetrationi idoneum, Hippocrate, Chrysippo & Erasistrato auctoribus : aqua non est cibus, sed cibi vehiculum. At ego aquam iccirco nutrire negauerim, quòd cùm nutrimentum proxima potentia sanguinis esse debeat, remota verò membrum, aqua ob exsuperantem frigiditatem, & quòd corpus simplex sit, nec sanguinis formæ, nec membri capax esse potest : ideoque neutiquam nutrire.

Tametsi verò aqua non nutriat, necessarius tamen eius erat vsus, tum ob commemoratas causas, tum etiam, vt sua qualitate acrimoniam adscititii ac extranei nostri caloris moderaretur, sitique inde ortæ sua contrarietate obsisteret, tum etiam vt fumos ac vapores qui in pericardio coaceruantur, ac circa cor conglomerari solent, absumeret, qua ratione naturæ humanæ haud parum adminiculatur. Quanquam & hoc ei familiare sit, vt vbi à calore vehementiori euincitur, in eius sese naturam transmutet, adeóque sitim, quam aliâs obtundere solebat, augeat. Omni ætati aqua conuenit,

idque peculiare prę vino obtinet, quo nomine inflammatis maiori, quàm vinum, est vsui, vti & melancholiæ ab adustis humoribus genitæ, ac cordis palpitationi.

His notis præstantissima deprehenditur aqua, si pellucida sit & limpida, quam gustus iudicat neque salsam, nec dulcem, nec amaram, nec acrem, sed insipidam omnique peregrino sapore priuatam, quæ fœtidi nil oleat, nec putrida sit, nec gustu abominabilis, quam visus turbidam non iudicet, sed pellucidam, ac tenuem, id quòd eam à purissimo aëre elaboratam euincit: ea etenim facilè distribuitur, incalescit minimo negotio, citóque refrigeratur, ad hæc ceu aere refertissima, terreni verò minimum obtinens, leuis admodum. Et hanc quidem Hippocrates bonam censet, quæ hyberno tempore calida sit, frigida æstiuo.

Aquas hoc probant experimento: linci panni eiusdem ponderis binas capiunt particulas, quas diuersis aquis immersas soli siccandas exponunt: harum quæ prima exsiccatur, leuissimæ immer-

immersam fuisse aquæ, extra controuersiam est, vel vtriusque siccatæ pondus explorant, leuissimæ eam immersam aquę iudicantes, cui præponderet alia. Illa etiam præstat cæteris, in qua herbæ, legumina, aliáue id genus citò percoquuntur, contrà si tardè. Adhæc melior est aqua fontana, quæ contra Orientem fluit per loca pura, non cœnosa, dummodò Aquilonem attingat, rapidi ac velocis cursus per alueos calculis minutis & purissima arena refertos. Quæ in Aquilonem excurrit, crassa est, tardæ concoctionis, nec facilè incalescit. Quæ contra Occidentem, frigidissima & ponderosissima. At quæ contra Meridiem, calida est, salsa, vt plurimùm insalubris, austris maximè spirantibus.

Fluuialis aquæ, nisi poscente necessitate, vsus nullus est, ac ex maximis quidem fluminibus & longè ab vrbibus remotis, quò à cœno ac omni eluuie immunior sit, petitus. Quòd si turbidæ vsum necessitas postulet, superedantur ei amygdalæ dulces, aut temperetur limpidissimo vino, aut bolus Armenus Orientalis ei permi-

ſceatur, aut ſpodii puluis. Pernicioſæ item ſunt, quæ è profundiſſimis puteis hauſtæ, pigræ & deſides, quæ rarò commouentur. nam quòd ponderoſæ ſint, & craſſæ, obſtructiones gignunt & magnos lienes.

Vincit cæteras præſtantia, quæ media pluit æſtate, maximis tonitruis, Paulo Ægineta teſte: quanquam facilè ob nimiam ſubtilitatem corrumpatur. Cui vitio occurri poteſt, ſi in pura ac nitida ciſterna aſſeruetur. Ea, ex Galeni ſententia, dulcis eſt, pellucida, vtpote à ſole, qui puriores aquæ portiones ſurſum attrahit, elaborata præſtantiorque reddita (dummodo nihil vitii à loci natura, in quo aſſeruatur, contrahat, aut fœtido odore inficiatur. talis enim pectori nocet, tuſſim inducit, ac raucedinem accerſit) concoctionem iccirco adiuuat, vrinam ciet, iecur & renes moderatè refrigerat, pectus dilatat, neque in frigiditate modum excedit. Plato in Euthydemo pretioſſimum liquorem aquam nuncupat, tametſi viliſſimo ematur. Quæ res poetis anſam præbuiſſe videtur, vt eam, quæ plurimis beneficiis mortalium

alium genus afficeret, liquidam, argenteam, ſuſurrantem,currentem,fugacem, loquacem, manantem, gelidam, puram, cœruleam, ſobriam, viuam,garrulam, vitream,irriguã,tranſparentem, ſcaturientem, vndantem, tenuem, mobilem,,piſcoſam,dulcem, amœnam,ſomniferam,fœcundam,crepitantem,ſurdam,caducam, ciſterninam,raucam,vagam, herboſam, fragilem,transcurrentem,riuoſam, lenem, emaculatoriam, querulam,fumoſam, ſalientem,emanantem,placidam,ventoſam, ſonoram, albam,reſplendentem,nauigeram, inſtabilẽ, limpidam, rorulentam, & cadentem nuncuparent. Nec deſunt qui nominis ἔτυμον è vocabulo elicere auſi,aquam quaſi æqualem nominarint, quod à ventis minimè agitata, nil ea ipſa tranquillius aut æqualius reperire ſit. Nonnullis aquam, tanquam à qua vi viuimus,nominatam placet,quòd præter infinitas, quas ſuppeditat nobis vtilitates, videatur cæteris imperare elementis. nam & maximam terræ partem obtinet, ignem extinguit, in aerem attollitur, ac quaſi cœlum petere

videtur, ſuoque denuo in terram prolapſu mira fœcunditate eam beat, eiuſque gremium implet, quæ ſine eius congreſſu ſterilis & inhabitata futura eſſet: ex ſeipſa demum, ceu vtero quodam piſcium, tam diuerſa in humanos vſus producit genera, producit & metalla ac gemmas præſtantiſſimas. Platonis in Timæo de his, quæ in ſublimi gignuntur ex aqua, hæc eſt ſententia: Cùm in modum vaporis, aqua in ſublime eleuata, atque à reliquis diſſimilaribus partibus ſeparata, in ſeipſam conglobatur ac compingitur, grando fit: cùm autem deorſum fertur, frigore condenſata glacies gignitur in terra: quæ verò minus, & ex dimidio compacta eſt, ſupra terram, aerei plurimum retinens, nix fit: in terra verò compacta & ex rore facta, pruina dicitur. Ex quo conficitur, niuem aerei in ſe plurimum obtinere, parum autem congelationis: quod ex fumo ab ea aſcendente, vti & eo ipſo, quòd aquæ innatet, manifeſtum euadit.

Commoda

Commoda potus frigidæ.

Natura necessitate quadam impulsa, eam, quam in potu frigidæ persentiscimus, voluptatem indidit, quò ad eius vsum nos inuitaret, haud secus atque in complexu Venereo, cui iccirco voluptatis stimulos addidit, vt nos ad speciei conseruationem procurandam incitaret. Ex quo conficitur, frigidæ potum, cùm tanta hominum voluptate perfundat, omnium animantium generi, humano præsertim, cumprimis esse necessarium. Quæ res vt clarior euadat, infensissimos duos hostes calori nostro natiuo insidiari, obseruandum est: Excellens frigus, quo is suffocatur, ac externum aduentitiumque, qui eum depascitur dissoluítque calorem, siue is æstatis caloris excessu sæuientis, seu regionis estuantis natura contingat, aut corporum violentiori motu ac exercitio: quæ omnia cùm inflammandi corporis maximam vim obtineant, parem etiam adepta sunt dissoluendi dissipandique caloris natiui. Ad hos itaque hostes,

expugnandos, ſeſeque recolligendum, operæpretium erat, vt maximo ſe muniret frigore, quò per antiperiſtaſin vires proſtratas recuperaret, docétque quotidiana experientia, calidæ potu eundem natiuum calorem diſſipari atque exhalari, ventriculum relaxari, concoctionem impediri, vaporibus ac fumis caput impeti, ſenſuumque aciem hebetari. Potus porrò ita contemperandus eſt aëris, anni temporis, regionis calori, vt quantò ille debilior eſt, tantò frigidæ potus gradus remiſſiores ſint: ſi hic intentior, eadem in egelidæ vſu ſeruetur temperies, quòd refrigeratio iſta haud aliud ſit, quàm temperamentum calidi. Siculos memorant ante introductum niuis vſum, cùm in aere degant feruentiſſimo, ac tepidiſſimis vtantur aquis, quotannis æſtiuis menſibus maximo numero febrium peſtilētium tyrannide è medio ſublatos: ducebant autem hi morbi ex primarum obſtructione hepatis venarum, ob prauam calidi potus concoctionem factam, originem: quod malum ferocire deſiit, ex quo primùm niuis vſum in potu admiſere,

misere, annis circiter abhinc 20. Diligenti namque obseruatione exploratum est, in vrbe Messana quotannis mille numero pauciores quàm antè vsum niuis homines interire: quo fit, vt vel è fæce plebis pauperrimus quisque opifex, in annona procuranda, non panem modò & vinum, sed & niuem numeret. Efflagitabat verò & alia potum frigidæ necessitas, vsus videlicet & finis, cui in nostro corpore potus destinatus est, vtpote vt per totum corpus permeans illud humectet, humorem illum assidua euaporatione transpirantem ac decidentem restauret: cui perficiundo solus humor tanquam passiua qualitas, non sufficiebat: quocirca fortiori egebat adminiculo, actiua nempe qualitate ceu passiuæ in suo statu conseruatricis. hæc frigus est in potu, non calor, quòd hic humorem absumat, frigus vnà & vsum & voluptatem corpori affert, ac humorem è vestigio per vniuersum corpus ita distribuit, vt singulæ partes, prout res earumque natura deposcit, eius vsum experiantur. Quapropter recta ratione constitutum

est, ac concinno ordine, vt aqua primo loco frigida, propter temperiem frigidam ac humidam, dein vinum frigidum, quòd præter refrigerationem & humectationem corpus nutrit ac dulcedine sua refocillat, tandem fructus assumantur, quòd & natiuum calorem contemperent, ac simul cibum potúmque subministrare videantur. Ex quibus istud demum conficiemus, frigidæ potum omnes facultates ad functiones suas vegetius obeundas, excitare ac corroborare. Attractricem, Retentricem, Alteratricem & Expultricem, ac viscerum quidem internorum vires ac robur ita intendit, vt nullis admissis prauis & corruptis humoribus, forinsecus à centro ad circumferentiam illos propulsent & abigant, vapores item ac fumos, nimio solis æstu in aere collectos, qui cor impetunt ac fatigant, haud secus dissipat ac dissoluit, quàm collectam ac coactam in valle aliqua densam ac opacam nebulam serenus aliquis solet ventus. Optimus autem refrigerandi vini & Ægyptiis vsitatissimus modus est, si noctu sub dio aut ventis frigidis

exponatur: optima enim illa & maxi-
mè salubris ratio est. Cùm enim aer
subtilis sit, nil terrestre aut densum in
se continet: at eo beneficio tum sanè
destituimur, cùm vsus maximè postu-
lare videbatur, neque enim tum isti
venti spirant. Et commodè in puteis
refrigeratur, modò duobus extra a-
quam palmis vasculo suo vinum su-
spensum sit, vt ab aere potius per a-
quam algente, quàm per ipsam a-
quam refrigeretur. Halonitro naui-
gantes etiam vtuntur, at parum id ef-
ficatiæ obtinet, neque enim aliter suas
vires exerit, quàm quòd violento suo
motu aquæ partes, à centro ad cir-
cumferentiam propulsæ, aerem re-
frigerent, vnà cum vicinioribus corpo-
ribus: aer etenim superficies aquæ ca-
lefacit, vti in phiala vitrea vinó reple-
ta, atque in aqua agitata videre est,
quod torrere vinum nuncupant. Po-
stremus modus est per niuem, om-
nium laudibus decantatus, modò ei
non permisceatur, quod bibimus, sed
per contractum refrigerat, nec asper-
nandos edit effectus. Cùm enim nix
sit coactus aer, aqua proinde leuior,

vti cui ſupernatet, conſentaneum eſt quòd citra damnum refrigeret : id quod res ipſa etiam docet. Ex liquefacta namque niue oriuntur flumina, quæ tametſi ruſtici potent, nil tamen ex eorum vſu perſentiſcunt incommodi.

Niuem porrò à centro ad circumferentiam noxia quæque propellere, experientia compertum eſt. In vitreis quidem ſcyphis ſi aqua aut vinum cõgelantur, è veſtigio frigoris, quod à dictis liquoribus prodit, vi eluuiem quandam ceu calicum pannum ad exteriorem ſcyphi regionem propelli, quod maxima contemplantium voluptate frigoris immenſi argumentum oculis obiicit. Circa quam obſeruationem notandum venit, iſtiuſmodi eluuiem, quæ exteriorem ſcyphi ſuperficiem circumueſtit, ac veli more incruſtat & obſcurat, nunquam in optimè ablutis ac terſis ſcyphis apparituram. Credant hoc meę, precor omnes, experientiæ, ac promicondi cumprimis hac occaſione ſint moniti, vt calices ſępius abluant, aqua primùm, dein cinere, tandem aceto, vt ſuum rectè

munus

munus extergendis ab eluuie poculis expleant. Hac etenim ratione efficient, vti non à glacie modo, sed ne à frigidissimo quidem obiecto (si quid modo glacie reperire sit frigidius) calices, qua dictum est ratione, inuestiantur ac obscurentur.

Ex iis quæ hactenus allata sunt, duo hæc verissima consectaria necessariò tandem conficiuntur. Principiò, corpore ab omni eluuie, humorum copia ac noxa libero, futurum esse vt frigidæ potus beneficio in suo statu permaneat, haud secus atque scyphus optimè elotus atque emundatus, & vt potus eiusdem vigorem atque interna viscera, vti dictum est, corroboret. Quòd si verò (vti plerunque fieri assolet) superfluis repletum humoribus corpus fuerit, frigidæ potus, sua vi atque natura, superuacaneum atque inutilem corpori humorem ad circumferentiam expellendo, principalia membra in suo statu conseruabit, ac contra omnem corruptionis ac putredinis vim corroborabit. Otiosis porrò nocet potus frigidæ, non assuetis, obstructione laborantibus, ægrotis, præ-

ua corporis intemperie præditis, pueris, senibus, iis qui ventriculo sunt debili, qui plurimùm vtuntur re Venerea. Iis porrò qui valido vtuntur exercitio, ac iter æstate faciunt, magno est vsui, quibus ij præsertim fructus offerendi sunt, qui corpus moderatè refrigerant, quanquam non admodum laudabili succo præditi sint. Deuitent præterea frigidæ potum absthmatici, & quicunque thoracis infirmitate laborant: neruorum item morbis officit, iis demum qui ei non assueuerunt. Hac item cautione, frigidam bibentibus, opus est, vt, priùs quàm bibant, affatim edant potulenta præsertim, aut iuscula herbis odoratis, cinnamomo aut pipere condita, quò ventriculus istiusmodi aromatis calefactus, tantò magis frigidæ potui resistat, ne ab eo offendatur: parum item bibant singulis vicibus, quo palato simul consulant, & maiorem ex potu vtilitatem hauriant. Atque vt in vniuersum dicam, sanguineis conuenit potus frigidæ, carnosis, & qui corpore & animo exercentur.

FINIS.



INDEX RERVM QVAE HOC DE ESCV-lentorum & potulenorum facultatibus libello continentur.

A.

B.

C.

Cin-

G.

I.

L.

Lac

N

O


P


Pruna

INDEX.

FINIS.







~ Bu

24 8 B 70